BIBLIOTECA NAZ.
XXVI
A
66
NAPOLI
XVI

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVI
A
66
NAPOLI

CYRIACI
LENTVLI
AVGVSTVS
Sive
De convertenda in Monarchiam Republica
Iuxta ductum et mentem
TACITI.



AMSTERODAMI,
Apud Ludovicum Elzevirium
Anno 1645.

[illegible]

[illegible] Google

CYRIACI LENTULI

AUGUSTUS,

Sive

De convertenda in Monarchiam Republicâ;

Iuxta ductum & mentem Taciti.



BIBLIOTECA
B. R.
NEAPOLIS

AMSTELODAMI,

Apud Ludovicum Elzevirium.

CIↃIↃCXLV.

Theognis.

Κύρνε κύει πόλις ἥδε· δέδοικα δὲ, μὴ τέκῃ ἄνδρα
Εὐθυντῆρα κακῆς ὕβριος ὑμετέρης.

VIRIS

Loco NOBILISSIMIS,
Dignitate AMPLISSIMIS,
Prudentiâ CONSULTISSIMIS,

Dominis,

CONSULIBUS,
PATRIBUS,
ASSESSORIBUS.

Florentiſſimæ opibus, cultu, literis,
Veteris Trajecti civitatis.

CYRIACUS LENTULUS *de Lentz*.
D. D. C.

RErumpublicarum, quas vel popularis licentiæ tempeſtas vel minarum hoſtilium procellæ ferè agitant, aſſidere clavo; & hoc impetuoſum fluctuum civilium mare leni conſilii auctoritatiſque nutu temperare; res eſt non di-

gnitate magis ampla quàm uſu ſalutaris, majorique eorum qui imperantur quàm imperantium commodo gerenda. Nam ſi fluitantem in alto navim rectoris ope, ne incurſura in ſcopulos, brevibuſve aut Syrtibus detenta periclitetur, ornas: hanc reipublicæ navim temerario fortunæ vento nudam non committas, virtutis omittendæ vado hæſuram, vel ſcelerum impune exercendorum ſcopulis allidendam. Sanctiorem magiſtratus ordinem, præmiorum ac pæne arbitrum, ſuſtuleris: langueſcet honeſtatis ſtudium, ſcelera ac flagitia ſine modo erunt: nullus erit innocentiæ locus, nullum niſi in audacia ſeipſam tandem præcipitaturâ præſidium. Quo diligentior cautio adhibenda nobis eſt, ne ſummis ab hoc ordine beneficiis affecti, vultu, verbo, facto eum

eum lædamus: contra omni ope annitamur, ut quorum ſalute noſtra involvatur, iis laterum quoque noſtrorum oppoſitu aſſiſtamus, ne illis laborantibus non modo unà corruamus, ſed ne indigni eorum tutelâ fuiſſe videamur. Sed cum omnia vel amplitudine vel utilitate præclara operoſam ſui tractationem habent, tum rerum humanarum adminiſtratio ardua eſt & cum difficultate conjuncta. Quæ difficultas partim in vulgi frenorum impatientis ingenio, partim in ipſius imperii naturâ, ad caſum & converſionem pronâ, reſidet. Aſpera & tractatu moroſa res eſt homo: nec ulla quamvis indomita fera majori arte cicuranda. Regio quivis animo naſcitur: & imperare omnes, parere pauci volumus. Ac ſingulos quidem, in turbam ſolutam diſperſos, & ſuo

quemque metu conſtrictos, facile contempſeris: cum conglobatâ multitudine, ubi vires ſuas conſenſumque circumſpexerit, maximè ſi dux illi & auctor acceſſerit, pluſculum negotii fuerit. Ut verò multicipitis hujus beluæ rabiem, latratumque plebeculæ, vel vindicando fregeris, vel demulcendo lenieris, vel aſpernando præterieris: major ab ipſius imperii conditione, & quò occultior eò periculoſior, tibi reique publicæ labes impendet. Quare ut lapidum congeſtu fabricata, ne vetuſtate corruant, aut ſitu obducantur, diligenti inſpectione opus eſt: ita ne pulcherrima reip. ſtructura vitium ducat, vel admotis cuniculis ſubruatur, advertendum eſt. Non Pyrrhus, non Annibal magis, non quicunque apertè bellum denunciat, metuendus, quàm qui in ipſis

reipublicæ viſceribus libertati civium inſidiando, de ſuo incremento nimium laborat. Quarum rerum exempla reſp. Romana, qua nulla fuit vel majeſtate imperii, vel ſpatio locorum, vel diuturnitate durationis illuſtrior, abundè profert. Ac Manlii quidem, Melii, & Caſſii conatus, civitate nondum corruptâ, nec luxum & divitias ut ſumma mortalium bona admirante, fruſtra fuére. Depravatioribus civium moribus crudelitate Cinnæ, immanitate Marii, ſævitiâ Sullæ ita inſultatum libertati, ut reſipiſcere attonitæ ac reſpirare, facto recolligendi ſui ſpatio, daretur. Pompeji quoque & Cæſaris, quorum conjunctæ vires libertati oneri, diſtractæ exitio fuére, diverſâ factione potentiam ſibi quærentium, incendium aliquando exſtinctum. Rediiſſe jam Se-

natui auctoritas, reſtituta populo potentia videbatur: cum ſubitò emerſi Antonius & Dolabella, furore curiam, forum, Italiam, provincias compleverunt. Ac ut appareat, quantæ ſint in hominum animis cogitationum latebræ, quantique ſimulationum receſſus, ideoque nec fronti cujuſquam gloriæ cupidine flagrantis nec actioni ſit credendum: principiò popularitate plebi, civilitate Patribus, cunctis tranquillitatis publicæ curâ ſatisfactum. Dictatura, quæ vim jam regiæ poteſtatis obſederat, teſte Romanorum eloquentiſſimo, funditus è republicâ ſublata: ſtatuæ Iulii Cæſaris everſæ: Caſſius & Brutus honorificentiſſimè appellati; in turbulentos & compoſita convellentes animadverſum. Ubi conſtitutis quæ requirebantur, & amoto vindicantium metu, in

manu ſuâ rerum gerendarum facultatem viderunt: celeriter omnia mutata. Calcata Patrum auctoritate, populo non rogato, maximarum pondera rerum ſuſcepta: veterani in ſpem prædarum ſolicitati: ſenatores non pignore capto, ut in vetere republicâ, ſed ſuperbâ contumeliæ denunciatione adeſſe juſſi, à ſententia liberè promendâ vultu, voce, gladiatorum manu deterriti: acta Cæſaris, & ea quidem unde emanarint dubia, rata habita: arma in remp. capta: multa alia indigna, facinoroſa, cogitata, cœpta, perpetrata. Ecce tibi C. Cæſarem illum, qui adoptione in nomen & familiam iſtam irrepſit, privatis opibus exercitum, quem Antonii furiis opponeret, conficientem; potentiamque ſibi per eorum, quos oppreſſurus erat, gratiam ſtabilientem. Hic adèo fefellit,
 etſi

etſi non fefellit, optimum quemque, ut vir Conſularis vigilantiſſimus non dubitaret, Obligare fidem ſuam Senatui Populoque Romano, adoleſcentem illum & ſentire optimè & ſemper ſenſurum de republicâ. Atque hic tamen is eſt, qui jugulata Patrum auctoritate, erepto populo ſuffragii jure, libertatem ab aliis ægrè affectam, in perpetuum tolleret, memoriamque ejus per poſteros deleret. Quod quâ calliditate, quibus artibus factum ſit, fierique ſoleat, dicere, ſi non ob rem, vel animi cauſſâ aggredior. Subjecerit aliquis: quid iſta noſtrâ, qui nec vitiis iis, quibus Romani, laboramus, nec Cæſares ejuſmodi & Antonios in medullis reipub. fovemus? Nec me aliter exiſtimare, vel, quod nullam reipub. partem attingo, decet, vel, quod ſtatui rerum præ-

præſenti ſatis faveo, optiméque clarorum virorum facta pro ſalute patriæ fortia interpretor; juvat. At poteſt alio tempore, alio loco, aliis hominibus eadem, quæ Romanis inexpectatam cataſtrophen impoſuit, fabula agi. Interea vel animum oblectare aliorum periculis, nobis in portu navigantibus, vel munire etiam exemplis non abs re fuerit.

Quod verò illuſtri nomini veſtro hoc meum opuſculum inſcribere volui: non temeritatis quodam impetu feror, ſed cauſſâ adducor evidentiſſimâ, eâque longè graviſſimâ. Nam ſi unde orta ſunt eôdem relabuntur aquarum fluenta, & flamma verſus aſtra, unde originem trahere putatur, enititur: ingeniorum partus illuc ferri, unde fomentum ſumunt, æquum eſt; præſideſque literarum tantos ac tam acres, li-

terarum monumentis commendari. Niſi verò privata cujuſquam beneficia oblivione obruere, ingrati notam incurrat; publicam munificentiam ſilentio ſepelire crimine careat. Vos pulſis Germaniâ Muſis domicilium, vos literaturæ erranti portum aperuiſtis, vos amplo docentes honorum ac ſtipendii præmio, diſcentes levato typographiæ ſumtu, aliiſque fructibus liberalitatis, animaſtis. Quo facto Urbem jam antea celebrem, & ut in medio fœderatarum provinciarum ſitam, ita centrum quaſi & receptaculum ejus quod uſquam genere vel culturâ clarum eſt, majori decore cumulaſtis. Commemorabunt alii hortorum oppidum veſtrum coronâ cingentium amœnitatem, agrorum vel paſtu pecorum vel ſegete luxuriantium fertilitatem, aëris ac cœli clementiam,

tiam, tectorum, fanorum, villarumque magnificentiam. Alii civium celebrabunt ingenia vel pace vel bello clara, morum ſuavitatem Gallicâ comitate & Germanico candore miſtam, excolendi doctrinâ animi etiam ad imbecilliorem ſexum fervorem. Quæ ut ſunt laude & admiratione digniſſima, ita magnam eorum partem fortuna indigenarum vel genius loci occupat. Quæ verò propria ſunt veſtra, nec in eorum ſe ſocietatem caſus admiſcet, ea primam nobis ac prope ſolam paginam hic faciunt. Academiam magnificis impenſis exſtruxiſtis: quod facto cum aliis commune, temporibus fit & impetu ſingulare. Qua tempeſtate alii belli furore proſtrati jacent, alii pacis languore molliti, divitiarum corradendarum ſtudio, & profuſione luxus certant; ſoli vos reperti

eſtis,

eſtis, qui quod alto pacis otio Monarchæ cogitarunt, id medio armorum ſtrepitu perficeretis. Quâ ex re fructum, vel conſcientiæ teſtimonio, vel famæ approbatione, uberrimum capitis, capturique porrò eſtis. Cum enim ingenii opera, virtutumque monimenta ſempiterna, ut ipſe animus immortalis eſt, floreant; cum cætera, quæ corporis naturam ſequuntur, bona fluxa ſint ac caduca: fit ut egregium veſtrum facinus nunquam ſit intermoriturum, ut quod nec fortunæ injuriâ, nec vetuſtate temporum eradi poſſit. Quare perſtrepant licet lucri cauſa maria ac terræ vicinorum negotiatione: veſtra honeſtior mercatura eſt, quâ tanquam ad mercatum bonarum literarum pretioſa generoſorum hominum ingenia attrahitis, & merce omnium nobiliſſimâ ditata quaquaver-

quaverſum dimittitis. Cujus civitatis liberalitatem cum veſtra hac in parte magnificentiâ, tanta fortunæ laureâ tam brevi coronatâ, comparemus? Claræ olim per terrarum orbem Athenæ fuerunt, literarum gloriâ ante omnes Europæos, ſed nullâ in docentes aut diſcentes publicâ munificentiâ. Veneti avorum memoriâ celeberrimum Pataviæ Lycæum aperuerunt, ſed nempe inſularum quibus imperabant, & negotiationis maritimæ, qua omnes gentes anteibant, proventu ſuffulti. Quam laudem æmulatæ liberæ aliquot Germaniæ ſuperioris civitates, eundem non infeliciter tramitem ſunt emenſæ: verum ingreſſu & decurſu tardiori. Veſtram in ſimili conatu promtitudinem magis mirer, an ſucceſſum, incertâ judicii aleâ mecum diſcepto. Alacritatem nec majorem

rem cujuſquam, nec per obſtacula plura perrumpentem vidimus. Progreſſum operum quantum ſibi polliceri improbi voti erat, oculis animiſque defixis intuemur. Robora ab ipſis incunabulis traxerunt, firmitatem à nativitate, non ab annorum ſerie, mutuata. Recenti à maternis uberibus Academiâ, jam philoſophica cæterarúmve diſciplinarum laureâ donatorum numerus cenſum effugit: jam novæ librariorum & locupletatæ fervent officinæ: jam ex omni Belgii fœderati provincia juventutis literis & gratiis operantis confluxum; præthereà Germanorum, Polonorum, Hungarorum, Danorum, Gallorum, Britannorum affluxum indies cernimus. Quarum ad gentium locis diſſitarum, linguâ, ritu, moribus diſparium fines, radios veſtræ erga remp. literariam benevo-

lentiæ

lentiæ tam cito penetrare poſſe, vix credibile videbatur: penetraverunt. Ea enim eſt natura conditioque virtutis in ſublimi poſitæ, ut fulgorem claritatis ſuæ in omnes terræ plagas ſpargat; nec magis ei latere contingat, quàm tædæ patenti vico accenſæ, vel laternæ ab edita turri ſuſpenſæ. Sed quid ago? rem altis defixam radicibus, nec ulla vi labefactandam, flammæ ſua vi abſumendæ, aut ventorum incurſu opprimendæ, imprudens comparavi. Aſtrorum & Solis hujus jubari virtus tanta perquam ſimilis eſt, quod nec à ſe deminui, nec concuſſione ullâ exſtingui obſcurarive fas eſt. Obduci invidiæ nubibus, injuriarum nimbis denigrari, condi oblivionis nocte poterit: ita tamen, ut diſcuſſa caligine, per eadem quibus premebatur erumpat. Eant nunc, quibus, in ſagina cor-

poris

poris culinæque nidore, aut ſplendidæ veſtis pretioſævé ſupellectilis nitore, omnis vitæ ratio: umbram felicitatis ſuæ brevi evaniture cum nominis veſtri gloria ſempiterna conferant. Cui quidem mortalium generi vita beluarum, quibus venter quàm homini ad capienda quæ ingeruntur laxior, & cruditatis dolori minus obnoxius; cui decor floſculorum, quibus tamen ſuus nec niſi cum ipſis deterendus colos, cultura animi ac vita verè humana potior. Ne divitiarum quidem augmentum, cui ſine modo ſtudere animæ humo affixæ ſummæ laudis eſſe opinantur, cum facti veſtri amplitudine contenderim. Pecuniæ quæ virtuti famuletur decus aliquod eſſe non abnuero: quæ ſe colendam ſupra dominam ſuam collocet, loco non ſuo deturbatam, ignominiâ notavero.

Sed

Sed de divitiarum præpoſtero, & quà publicè quà privatim nocituro, cultu & ſcripſere alii permulti, nec nos ubi ad id loci devenerimus, ſilentio præteribimus. Veſtram, Ampliſſimi Viri, à vulgi opinione diſſidentem, cum animi magnitudinem ſuſpicimus tum ſapientiam: qui & ſervire vobis argentum, & ſervire ad decus, ad gloriam, ad laudem virtutemque jubeatis. Quam copioſus hic eſſe poſſim, quam hoc in campo exſultare; ſi aut uberiorem orationem prudentia veſtra, aut præſentem laudationem moderatio deſideraret. Quare finem diſſertandi facio, ſpei plenus ac boni ominis, fore ut opuſculum hoc auctoremque ejus eodem quo ſoletis in cæteris vultu exceptum, favore veſtro proſequamini; & ut iiſdem veſtris artibus curru famæ triumphali

phali evecti, æternitate temporum per ora hominum volitetis, Dei ter Opt. Max. favorem cœleſtem comprecatus.

LECTORI S.

AD lectionem Taciti ſerò, nec niſi à Græcâ Romanaque & noſtri ſeculi hiſtoriâ, diſciplinis præterea, quæ vel judicium informant, vel vitam præceptis inſtruunt, pleriſque percurſis, animum applicui. Quod in me caſus vel inſtinctus fuit, id aliis literaturæ politioris candidatis judicium eſſe ac rationem velim. Non implet hic auctor aures, niſi capacitate Tullii, rotunditate Salluſtii, jam diſtentas: nec animum ſaturat veteris reip. Romanæ cognitionis jejunum, vel quæ legit ad ſua tempora accommodare neſcientem. In moribus præſertim & vitâ communi venenum pro antidoto haurias, oraculis diſciplinæ ſanctioris inſtitutiſque philoſophiæ moralis non inſtructus. Ab ætate quoque & rerum experientiâ aliquid adferas, ut pari merce onuſtus recedas, oportet: more eorum regum, quos niſi munere allato ſalutare fas non eſt. Siqua tamen cujusquam ſupra annos ingenii facultas exſurrexerit, conjuncta cum fervore arcana aulæ perſcrutandi, eum à lectione Cornelianâ non planè arcuerim. Interea ad planiorem ſalebroſæ tractationis ingreſſum viam ſtraverit noſtra de Convertenda in principatum republicâ commentatio. qua id

agimus,

agimus, ut, quibus artibus Auguſtus vete-rem Romanorum libertatem inverterit, du-ctum Taciti mentemque ſecuti, oſtendamus. Nec tamen tam arcto nos methodi vinculo aſtrinximus, ut non aliquando, vel oblectandi lectoris, vel varietate quadam detinendi, excurreremus. Vale Lector benevole, & iſta à nobis qualiacunque boni conſule, plura daturis, ubi laborem hunc noſtrum non ingratum fuiſſe didicerimus.

CYRIACI LENTULI
AUGUSTUS,

Sive

De convertenda in Monarchiam Republicâ.

VRbem Romam à Princi- „
pio reges habuere. Li- „
bertatem & Conſulatum „
L. Brutus inſtituit. Di- „
ctaturæ ad tempus ſumebantur: ne- „
que Decemviralis poteſtas ultra „
biennium, neque Tribunorum mi- „
litum conſulare jus diu valuit. Non „
Cinnæ, non Sullæ longa domina- „
tio: & Pompeii Craſſique potentia „
cito in Cæſarem: Lepidi atque An- „
tonii arma in Auguſtum ceſſere. „
Qui cuncta diſcordiis civilibus feſ- „
ſa, nomine Principis ſub imperium „
accepit. „

Qui veteris Imperii Romani ante Auguſtum Principem fuerit ſtatus, quibus vel mutationum viciſſitudinibus, vel ſeditionum tempeſtatibus agitatus; compendioſa hac narratiunculâ, diverſam ſub Cæſarum familia formam deſcripturus, recenſet. Is,

generatim ut loquar, Regius fuit aut Conſularis. Nam vel unius juſſum ſub juſto regno Quirites aſpectabant; vel libertate vindicatâ per Conſules, auctoritate Senatûs, populi arbitrio res gerebant. Dictatorum enim urgente neceſſitate abſoluta, ſed temporis anguſtia circumſcripta poteſtas; Decemvirorum condendis legibus potentia; Tribunorum militum conſulari poteſtate gubernatio, ſuſpendit magis quam ſuſtulit conſulum imperium. Tribunos plebis, Conſulum ac patriciorum potentiæ obicem, nec in eligendo ratio, nec in gerendo Magiſtratu moderatio, nec honorum, ut cæteros; inſignia commendabant. Gracchus, Cinna, Marius, ex hac ſcaturigine emiſſi, occaſionem Sullæ & ſequentibus dominandi aperiurunt. Horum, ut & reliquorum Magiſtratuum, penes quos ſummi imperii jus non fuit, fulgorem majori lumine tectum ſilentio præterit; ut quorum orbis primi mobilis raptu circumagitur, aut quiete ſiſtitur.

Atque iſta quidem ita ſe habere, nec demonſtratione antiquitatis gnaris, nec acumine ad indagandum opus eſſe arbitror. Interiorem verò Taciti

men-

mentem; quem ſine gravi ratione calamum non ſtringere, qui eum noverunt, norunt; non temerè quivis introſpexerit. Quæ; aut ego nimium hic video, aut iſta eſt: *Urbi Romæ naturalem eſſe unius dominatum.* Nam ſi à principio ſuo rerum ordo, niſi per vim abſtractus detineatur, non longè recedit; & verò trecentos prope per annos Urbem Romam à principio reges habuere: mirandum non eſt, ſi ab ortu ſuo revulſa civitas, & varias jactationum motus experta, ad eundem unde exceſſerat, quietis amore locum reciderit. Elementa, & quæ ex iis componuntur, violenter in alienâ regione quatiuntur, quietura ubi ad ſedem ſuam, quam naturaliter appetunt, redierint. Eadem eſt conditio urbium, corporum compoſitionem, augmentum ac interitum quodammodo imitantium. Romani certè, medio inter Tarquinii regnum & Auguſti principatum tempore, perpetuis circumacti fuerunt bellorum, tumultuum, diſcordiarum turbinibus. Qui (DEUS bone!) clamores in foro Patrum cum plebe rixantium; quæ foris bellorum nimbi, ac mox externo metu, qui illa malè cohæ-

rentiis corporis membra continebat, ſublato civium in ſua viſcera ſævientium procellæ, requiem non habituræ, donec unius diſperſa collecturi ſinu reciperentur.

Vrbem Romam] Autor brevitatis obſervantiſſimus, non ſine cauſſa appellativum nomen proprio, idque initio operis, conjunxit. Quæ nobis inquirenda eſt, & è latebris ad lucem protrahenda. Miſſam hoc loco faciam diſtinctionem ICtorum, (De verborum ſignificationibus) Urbis appellationem mœnibus; Romæ, continentiâ ædificiorum terminantium. Minus etiam ad rem pertinere arbitror, indicaſſe, Urbem ab urbo nomen inveniſſe, eo quod aratro circumducto ambitus ejus deſignaretur. Nec jam inquiram, Roma à Romulo dicta ſit, an à robore & quaſi valentiâ, voce græca omen præferente. Nec in eo laborabo, data-ne operâ, an temerè verſum autor effuderit. Quas Grammaticis occupationes, quibus deſudant, non eripio.

Illuc quo ſcriptor acutiſſimus, & nihil ſine ratione augere ſolitus, ducit, ſequar. *Vrbem habuerunt reges*, & pauca circum oppidula, quæ ſubur-

bani

bani prædii loco poſtea fuerunt. Niſi laceſſiti bella non temere geſſerunt: quibus profligatis ad ſua tutanda plerunque redierunt. Nec tantus ardor civibus inerat vel neceſſitas dimicandi, nec virtutum bellicarum ea præmia, quæ excitare ad aſpera promptè ſuſcipienda animos poterant. At verò liberâ republica pro ſalute primum, mox pro gloria armis promotis, in eam res Romana excrevit imperii molem, quæ niſi ſuiſmet viribus divelli non poterat.

A principio] Non repono, quæ paullo ante dicta condidi. Aliud tamen arcanum ex his elicere poſſe videor: idque præeunte Livio, qui ad conſtituendum urbis naſcentis ſtatum, neceſſariam regum moderationem fuiſſe aſſeverat.

Sed nimirum non viderat Patavinus ille ſurgentem in vicinia patriæ ſuæ Venetorum rempublicam ab ipſis incunabulis liberrimam; legum & concordiæ vinculis firmiſſimam.

Sane cum ab hac oculos reflecto, quæ multa habet ſingularia, nec veteribus uſurpata, nec eadem felicitate cæteris fortean imitanda; Livium; & qui eum ſequuntur, vanitatis notâ

libero. Certè Athenæ regibus antiquitus paruerunt; ut & Carthago, & ſi qua alia fuere regibus liberata urbium potentiorum imperia.

Reges] Domini rerum temporumque, qui trahunt conſiliis ſuis cuncta; non ſequuntur: ut alibi noſter loqui amat. Quibus quidem Roma gaviſa eſt ſalutis civium & urbis decorandæ peramantibus. Quorum ſub tutela tranquillè vitam & feliciter egit. Niſi quod aſperiorem Tarquinii dominationem experta, regii ſtatus faſtidium cepit.

Habuere] Ut ſuam, & aliunde non pendentem. Non tamen hæreditate vel acceperunt eam, vel poſteris tradiderunt. Populo jubente, ſenatu auctore eligi, quod proxime libertatem eſt, ſuſtinuerunt. Excepto primo & poſtremo regum: quorum ille populum, urbem, leges à ſe conditas per ſe, conſilio tamen Patrum ſuo beneficio creatorum, adminiſtravit: hic imperium violenter arreptum, violentius tractavit. His addendus forſitan Servius Tullius, qui per uxorium ambitum & ſenili adoptione (ut noſter infra de Tiberio loquitur) irrepſiſſe videri poſſit.

Liber-

Libertatem] Si libertas juxta ICtum eſt facultas agendi quod velis, niſi legibus vel vi prohibearis: non pugnare videtur cum regno libertas, nec cum paucorum aut populi dominatu converti. Quid enim? ſub Decemviris Romani, ſub triginta tyrannis Athenienſes liberi fuerunt; ſub Codro, Theſeo, ſub Numa Pompilio, Anco Martio, Tarquinio Priſco, ſervierunt? Poteris ſub umbra juſti regis liber, ſub dominatu paucorum aut licentiâ populari poteris non liber eſſe. Politicorum tamen ſtylo liberi ii eſſe dicuntur, qui regia poteſtate ſoluti, terrore procul & metu, quæ ſolium regium ferè ſequuntur, degunt; qui ſuffragiorum jus verè aut per ſimulacrum habent; qui per vices parent ac imperant; qui liberiorem loquendi vel agendi facultatem nacti, nec legem majeſtatis, nec obtrectationes metuunt.

Libertatem & Conſulatum] Ut verâ libertate cives gauderent, opus erat ſummo aliquo Magiſtratu, legum ac juris defenſore, inſultus hoſtilis propulſore, litium inter ſuos diremtore. Abſque eo licentia magis & diſſolutio, & quidvis potius eſſet quam

libertas. Et quod Tacitus infra (lib. 2.) de Arminiis profert, *incerti, ſolutique, & magis ſine domino, quam in libertate agerent*. Dicam quod paradoxon videatur: *nimia libertas extrema ſervitus eſt*. Et vel ſub Caligula unius furorem trepidare præſtat, quam nullo prohibente omnium exſpectare injurias; paucoſque indicta cauſa inſontes perimi, quam univerſos ſcelerum licentia volutari. Quare ingenioſe fingit Dionyſius Halicarnaſſæus, tyrannicidas, antequam ad facinus & fugam regum accingerentur, de conſtituendo ſtatu prius deliberaſſe.

Brutus] Domeſticus tyranni, & inter liberos ejus educatus, quo à genere hominum non pauci & alii interierunt, honore aut vitâ privati, fruſtra contra vim externam communiti.

Unde videre eſt, quam ſolicita, quam curarum & terroris plena vita ſit tyrannorum; imò regum quamvis egregiorum, in quos modò calumnia tyrannidis cadere poſſit.

Inſtituit] Ex commentario Servii Tullii, ſi Livio hac in parte fides habenda: Primus ipſe Conſul: quo munere non diu gaviſus eſt, præproperâ morte ex ardore pugnæ ſublatus: gratam

tam tamen poſteris memoriam ſui reliquit, firmatâ & ſtabilitâ in multas ætates libertate.

Quod ſi idem contigiſſet alteri Bruto, qui occiſo Iulio libertatis improſperè repetitæ author fuit, eadem, puto, gloria nominis viguiſſet; ut ferè ex eventu de factis homines judicant.

Dictatura] Magiſtratus non à Romanis inventus, ſed Italicorum oppidorum exemplo inſtitutus, republica vel ſeditione, vel vi hoſtili in ſummum diſcrimen adactâ, ut non niſi unius infinitâ agendi poteſtate præditi (tempore tamen quam maximè finitâ, ne libertas corrumperetur, dum ſaluti conſulitur) conſilio expediri poſſet. Quo, quantum in unius ductu, quantum in imperio non diducto virium eſſet, volentes nolentes fatebantur.

Ad tempus] Suſpenſis interim, non ſublatis; obductis, non obliteratis reliquis magiſtratibus: ita ut occaſui & ortui ſiderum Heliaco aſſimulari poſſe videantur.

Sumebantur] Componendo rerum ſtatui, cui impar erat Conſulum finita, & provocatione ad populum ſæpe

clusa poteſtas, aut tribunorum pl. importunitate fracta. Inter paradoxa fortunæ Romanæ numerari poteſt, quod, cum cæteri magiſtratus creato Dictatore omnes quieverint, nemo inventus fuerit, qui poteſtate ea ad regnum obtinendum abuteretur, cum inter decem tam facile inveniri potuerit ad tyrannidem conſpiratio.

Decemviralis poteſtas] Quanquam ſingulari Romanæ civitatis fato adſcribi poteſt, quod libertas unius manui Dictatoris commiſſa, intemerata toties reddita eſt; cum Decemviri, quod minimè credebatur, nec ii exercitui, ſed legibus præpoſiti, eam violaverint: tamen cauſſas, cur id factum fuerit, aliquas reddere conabimur. Quarum prima eſt, patrum à plebe acerrima diſſenſio: quam fundamentum ſuæ dominationi præſtruxerunt. 2. Omnium reliquorum Magiſtratuum ceſſatio dicam an abolitio? qui ſub dictatura non tam deſinebant, quam quieſcebant. 3. imperii in annum alterum prorogatio: quæ & privatæ vitæ odium, guſtata dominandi dulcedine, illis; & civibus conſuetudinem quandam iiſdem obediendi afferebat, præſertim legum, quas con-
 debant,

debant, ſanctitate reverentiam eis circumfundente. Sapienter equidem Patres pluribus id honoris demandarunt, ne in multitudine, matre diſſolutionis, inveniretur conſpiratio. atqui paucorum gubernatio, ſi concors fuerit, haud facile à ſe ipſa ruit, ait Philoſophus, 5. Politic. 6. ideòque Cato aliquando ſententiam promere non dubitavit, expedire reip. ut factiones atque diſcordiæ ſint inter viros magnos & potentes. Nimirum acer ille paterfamiliâs, qui ſervos ſuos mutuis querelarum cauſſis invicem ſuſpectos reddebat, ne eſſet inter illos conſenſus in ſcelera, putabat eandem per omnia rationem eſſe reipub. & familiæ; & erumpenter factiones tam facile comprimi poſſe, quam ſervi litigantes à Domino cohibentur.

Sed iſta ut rem, quam in manibus habemus, abductura mitto. Prudenter iidem Romani ac aſtutè, ut ſibi videbantur, Appio Claudio electionem demandabant, ne is inter creatos legum latores altero anno eſſet. Verùm eo ipſo impotentiam ſuperbi hominis firmabant. Nam & ſibi aptos legebat, & ſeipſum inter eos legis latorem projecto pudore pronunciabat. Quid

igitur faciendum fuerat? nihil equidem præſcribo; & verba Taciti huc accommodo: *Non perinde dijudicari potuiſſe, quid optimum factu fuerit, quàm peſſimum fuiſſe, quod factum eſt.* Et vel hinc defectum formæ reipublicæ Romanæ deprehendere eſt: quicquid Macchiavellus & Antiquarii noſtri eam ut præſtantiſſimam, & noſtris etiam moribus applicandam, prædicent.

Non ultra biennium] Biennio enim elapſo, non poteſtas illis manſit, ſed violentia potius & audacia à privatis jam factis uſurpata. Lipſius ita accipit, q. d. haud multò ultrà biennium. Quod in hoc authore penſiculatè loquente non ferendum.

Diſtinguenda erat Critico illi legitima & à populo delata poteſtas à violenta ejus uſurpatione.

Tribunorum militum] Qui magiſtratus à ſeditione ortum habuit; petentibus plebejis Conſulem alterum ſui loci hominem creari.

Conſulare jus] Ut petitioni plebejorum invaleſcenti aliquid tribueretur, nec tamen conſularis dignitas temeraretur. Arcanis Optimatum contra Democratiam naſcentem annumerandum eſt.

Non

Non diu valuit] Recidente ad antiquam Conſulum dignitatem imperio.

Non Cinnæ, non Sullæ] Crudâ ſervitutis prætentatione, & quaſi prima libertatis delibatione, nondum eo uſque fractis viribus ac animis populi Romani, ut ferre jugum æquo animo poſſent.

Cinnæ] Ductoris partium Marianarum rabioſæ ſævitiæ. Atque hinc jam nutantis reipublicæ & bellorum pluſquam civilium origo, initio facto ab inquieto Marii animo. Non igitur culpandi Veneti, qui quid Romanum imperium everterit videntes, antiquorum morum, legum, ordinum ſunt retinentiſſimi. Nec minus in eo ſapientiâ Romanos præcedunt, quod vulgi privato rei familiaris incremento non invidentes, verum injurias à nobilitate illis illatas acerrimè vindicantes, neceſſitatem iis & anſam adimunt ſeceſſionum & per eas Tribunorum pl. creandorum. Ille igitur fricti ciceris & nucis emtor, conceſſo ad ſatietatem ſibi Pane & Circenſe, non ægrè admodum fert, à ſpe honorum gerendorum ſe excludi. Maximè quia advenæ & plebeji ſtatu quem invenerant contenti; ſuæ privatim

negotiationi incumbunt, & ab armorum geſtamine ac uſu alieni, ferociam animi non induunt.

Apud Romanos omnia contra. Plebs pulſis regibus æqualitatis opinione circumducta, à Conſulibus faſces populo ſubmittentibus, provocationem à ſe ad populum largientibus, delinita; prædâ regia, & blandimentis Patrum ineſcata, animos regios induit, & jus ex æquo imperandi ſibi ſumpſit.

Mox ubi regio metu liberi patricii, qui ſimulacris quibuſdam æqualitatis populum tenere poterant, ad ſuperbiam & aſperitatem verſi, plebis animos æris alieni crudeli exactione, & fame aliiſque irritamentis exaſperarunt, homines militares & in armis degentes ex deſperatione ſalutem quærere coëgerunt. Hinc Tribunatus plebis duas quaſi ex una civitates effecit, Patrum ac Conſulum auctoritatem fregit, ac tandem ab hoſtibus in cives arma vertit, eoque rem perduxit, ut utrique, nobiles ac ignobiles unius imperantis jugo cervicem præberent.

Sullæ] Hominis genere & rerum geſtarum claritate nobiliſſimi, nec

imme-

immeritò Fauſti nominati, & perpetuâ memoriâ futuri, ſi cum victoria vitam finiiſſet, aut certè dictaturâ perpetuam, quam aliquandiu geſſit, id quod facturus erat Auguſtus, præveniſſet. Hunc literas neſciviſſe, quod dictaturâ ſe abdicaverit, joculariter Iulius Cæſar dicere ſolitus erat. Atqui idem Cæſar non perdidiciſſe Grammaticam mihi videtur; ſed præmaturè ludo literario relicto ad Univerſitatem rerum ſe contuliſſe, non firmato benè ſtatu ſuo, attentis nimirum, quos dimiſit, Prætorianis militibus, exciſis Pompejanarum partium capitibus, æmulis imperii ſublatis, proviſis hæredibus & dominationi ſubſidiis, novis hominibus beneficio ſuo evectis, Principis aut Tutoris aut alio mitiori nomine aſſumto, rejecto conſtanter diademate & aliis regni inſignibus, &c.

Non longa dominatio] Ipſa ſe fatigante ſævitiâ.

Vide & quæ ſupra dicta.

Dominatio] Vocabulo ad miſeriam rerum exprimendam nato. De fortunis enim, honoribus & capitibus civium ſuperbè crudeliterque ſtatuerunt.

Pompeji Craſſique potentia] Unde ea? ex

ex mobilitate animorum vulgi, & amicorum clientiumque manu: & ex faſtidio quodam rerum præſentium, novarumque exſpectatione. Fruſtra Brutus exactis regibus jurejurando populum adegit, neminem Romæ paſſuros regnare;ſi gratiâ alicujus aut opibus dementati, oculos in eum omnes convertant, eumque principem civitatis ipſa veneratione fateantur. Fruſtra Tyranni alicujus defuncti imaginem habere non licebat, ſi viventis imaginem oculis ac mente circumferant. Fruſtra memoria eorum, qui regnum affectaverant, damnatur; ſi nimio favore ac applauſu, ut idem audeant, alii evehantur. Præcipuè autem Pompejum, & poſtea Cæſarem, provexit illa imperiorum prorogatio ac diuturnitas: quam iterum & ſæpè damnoſam eſſe libertati populi clamo.

Ratio quanquam & exempla obvia ſunt, auctoritatem tamen Livii audire juvat. *Libertatis*, inquit, *magna cuſtodia eſt, ſi magna imperia diuturna eſſe non ſinas, & temporis modus imponatur, quibus juris non poteſt.* Lib. 4.

Pompeji] Mario & ejuſmodi hominibus dominandi libidinem profeſſis

cau-

cautioris, non melioris. Qui tamen in appetendis quam gerendis honoribus fuit immoderatior.

Craſſi] Opulentia inter omnes eminentis; cæterum nec conſilio, nec alacritate in rebus gerendis reliquis conferendi.

Cito] Craſſo, qui belli erat medium, apud Parthos extincto, Pompejo acie Pharſalica victo.

Non enim in unius ut tori, ita regni ſocietate diu copulatio rivalium conſiſtere poteſt.

In Cæſarem] Hominem bellicoſum, animo ac exercitu quam vel divitiis vel vanis nominibus validiorem. His machinis inſtructus, reliquorum vires in ſe unum traxit; favore etiam militum comparato; Pompeji autoritate jam fluxâ, Craſſo ſolis divitiis ſuperbiente, nec unquam vel eo, quod habuit apud ſuos, nomine & exiſtimatione digno.

Lepidi] Hominis ab exercitu validiſſimi, ſed conſilio animoque languidi ac inertis.

Antonii] Bello invicti, ſi cupiditatibus frenum ponere calluiſſet.

Arma] Non enim potentia tantum, & clandeſtina conſpiratio.

Augu-

Auguſtum] Quod nomen poſtea ab augurio & rerum adminiſtrandarum felicitate, ac quaſi veneratione aliquâ retulit. Iuvenem vigilantem, audacem, gratioſum. De quo plura dicendi affatim copia erit.

Ceſsêre] Ut feſſa & onere ſuo labantia; vel, ceſſere, ut in digniorem.

Cuncta] Provincias, agros, urbem, nobilitatem, plebem, claſſes, exercitus, & quicquid eſſet nominis Romani.

Diſcordiis civilibus feſſa] A quibus maximum periculum rebuspublicis non optima ratione gubernatis: maximè ubi auctis viribus quem extra ſe metuant non habent. Conferatur itaque jam rigida Catonis ſapientia cum Naſicæ non fucatâ rerum civilium ſcientia. Ille ſalutem civium ſuorum interitu hoſtium menſus, ſententiam de aliis rebus rogatus, cenſere non deſiit, *Carthaginem non eſſe:* Hic, ne Carthago eos virtutis Romanæ tolleretur, ſuaſit. Pervicit ſententia Catonis; urbs hoſtilis, vel jam ſocia potius ac ſupplex, abſque omni æquitatis ratione crudelem in modum ſubverſa, pro metu ſecuritatem Urbi intulit, pro vigilantia torporem, pro parſimonia

monia luxuriam, pro concordia diſcordiam. Ferrum, quod pro defendenda patriâ gerebatur, in perniciem mutuam detortum; ſpectaculum hoſtibus gratiſſimum præbitum: tandem verſo civitatis ſtatu jugum patienter ſubitum: Cum omnium confeſſione ſapientum laboranti civitati alio modo ſuccurri non poſſes, quam ſi ab uno regeretur. Non male græculus ille, qui diſcordias civiles ὠδῖνας vocavit, quaſi dolores parturientis. Parturiunt enim civitates, & vel dominum ſibi pariunt, vel ante partum, cladibus mutuis abſumtæ, intereunt.

Nomine] Uſitatis ac in populum gratis nominibus utendum, ac antiqui moris quandam ſpeciem retinendam eſſe ei, qui ſtatum immutare velit, non ſine ratione ſcriptor Florentinus docet. *Perche*, inquit, *lo univerſale de gli huomini ſi paſce coſì di quello, che pare, come di quello che è: anzi molte volte ſi muovono più per le coſe, che paiono, che per quelle, che ſono.* Lib. 1. diſc. cap. 25.

Principis] Nomine nec novitatem nec arrogantiam ſapiente. Siquidem & olim erat Senatus Princeps, non qui ejus convocandi aut compeſcendi habe-

haberet poteſtatem, ſed qui jure & loco omnibus par, ordine cæteris anteiret. Græci προκριτον γερουσιας vertunt; ut videre eſt apud Dionem.

Imperium] ἀρχὴν. unde jam Imperatores dicti deinceps. Quanquam & hoc ipſum nomen minuendæ invidiæ aſſumptum, quaſi Imperatores eſſent militum, priſca eorum qui exercitui fauſtè præfuiſſent ſalutatione. Unde vulpecula illa apud Dionem, Tiberium intelligo, Dominum ſe mancipiorum, Imperatorem autem militum, reliquorum Principem eſſe ajebat.

Accepit] Majeſtate, quæ in populo reſidebat, ad unum devolutæ. Sed an lege regiâ populus ei, & in eum omne imperium ſuum & poteſtatem conceſſerit, ſemper dubitavi, &, ut video, mecum Clapmarius, 2. de art. 15.

QUAESTIO I.

AN reges Romani abſolutam & ſine fine dominandi poteſtatem habuerint?

Quæ juxta Ariſtotelem Iura imperii recenſentur, περὶ ἐκκλησίαν, circa Comitia, περὶ τὰς ἀρχὰς, Magiſtratus,

tus, περὶ δικαστήρια, Iudicia, περὶ ὅπλησιν, Armaturam, περὶ γυμνασίων, Arborum uſum: ea omnia in poteſtate regum abſque ulla exceptione apud Romanos fuiſſe video. Nam & Senatum Populumque convocabant, & Patres in Senatum legebant, Quæſtoreſque ac alios Magiſtratus inſtituebant. Cauſas præterea civium judicabant, & jus vitæ neciſque in omnes uſurpabant.

Bellum verò & pacem, ſagum ac togam, ut lubitum, ſumebant vel deponebant. Unde pro diverſitate ingeniorum regnantium pace vel bello Urbs vigebat. Ignea enim Romuli mens, & ardor juvenilis, quietem annis non dabat; Pompilius religionibus deditus, eadem populum ſuperſtitione implevit, armorumque uſum oblivioni tradidit. Quæ ſitu obduci non paſſus ferox Tullii Hoſtilii animus, antiquo ſplendori reddidit. Subſequuti deinceps Reges pro arbitrio, juris tamen aliquâ ſpecie, vel movebant arma, vel condebant. Atqui, dixerit quis, anguſti illi limites ab Ariſtotele præſcripti & plura à Bodino & recentioribus regni jura recenſentur: ut ſunt inprimis, Legem dare, non

non accipere ; Legatos mittere ac recipere; Rerum ſacrarum jus habere; Extremam provocationem ſibi reſervare; Monetam cudere; Nundinas, Academias, Aſyla aperire; Vectigalia ac tributa imponere. Novi, & adſtipulor: eaque omnia in poteſtate regum fuiſſe, teſtibus Hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus, aſſero. Leges illis aut nullæ erant, aut ab ipſis ipſorumve juſſu promulgatæ. Tacit. 3. annal. *Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat: dein Numa religionibus & divino jure populum devinxit; repertaque quædam à Tullo & Anco: ſed præcipuus Servius Tullius ſanctor legum fuit, quîs etiam reges obtemperarent.*

Ius deinde rerum ſacrarum, earumque inſtitutio ac cura penes eoſdem fuit. Pontificum tantum fuit, adminiſtrare ſacra, ſcire quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, atque unde in eos ſumptus pecunia erogaretur: Liv. lib. 1. De legatis mittendis ac recipiendis nullum eſt dubium legenti eundem Livium, eodem libro primo.

Extrema provocatio, quæ *διαγνώσεων* voce ab Ariſtotele comprehendi potuit, in populi penu fuiſſe videri

quęat,

queat; ex caſu Horatii ſororicidæ. Verùm quod rex Tullus amovendæ à ſe invidiæ illo temporum momento largitur, non eſt ad pleni juris præſumtionem trahendum.

Aſylorum deinde Romulus auctor vel inprimis fuit: nec cætera, quæ in uſu modò ſuere, regibus negata fuiſſe ullius fide ſcriptoris probabitur. Quid igitur? an Senatus nullum jus, nulla auctoritas? Erat, ſed regibus obnoxia, atque ab iis pendens. Advocabantur in conſilium, ſententias rogabantur & promebant: eoſque ſalutaria monentes boni reges ſponte ſequebantur. Nec minus quam Theodoſius & Valent. Impp. dicere poterant: *Benè cognoſcimus, quod cum veſtro conſilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem noſtri Imperii, & ad noſtram gloriam redundare.* Lib. 8. C. de L. L. Habenas tamen manu ſuâ regebant, non regebantur.

QUÆSTIO II.

AN jure divino regibus tradita ſit proprietas agrorum, vitæ & honoris ſubditorum? &, an apud antiquiſſimos reges in uſu fuerit?

Quæ abſterrendo populo Samuel (1 Sam. 8.)

(1 Sam. 8.) commemorat, fore ut rex facile abutatur pro libitu poteſtate ſua, ea jure regi conceſſa nonnulli ex hoc loco argutantur. Sed diſtinguendæ ſunt à præceptis comminationes, à decretis conſilia. Quin & exemplis ac praxi ea ſententia refutatur. Ahab veniam Nabothi jure ad ſe trahere non poterat. David aream & holocauſta quæ Deo offerret, pretio emebat.

Pharao rex Ægypti per Ioſephum agros ac jumenta Ægyptiorum, & ipſos denique frumento ſibi comparavit. Quod non facturus fuiſſet, ſi propria ejus fuiſſent. Nemo enim ſanæ mentis compos ſua emit. Hemor cum filio Sichem, ut in gratiam filiorum Iacobi cives circumciderentur, perſuaſione, non coactione impetravit.

Quinimo in ipſis etiam rebus gerendis ac negotiis regni ligatas aliquo modo manus habuerunt.

Zedechias ultimus regum Iudæorum clam Ieremiam Prophetam è carcere protractum conſultabat, vetito, ne reſciſcerent proceres regni.

Regem Ahab urbem Samariam tradere regi Benhadado Syriæ primores populi vetabant.

Agis

Agis rex Palæſtinorum Davidem ab exercitu remittere à principibus regni jubebatur.

Ad locum Samuelis poterit & alio modo reſponderi: nimirum, verba illa continere prophetiam de futura tyrannide regis, quem electuri erant primum, & Deus in ira illis daturus: Saulis inquam, quem agros & vineas Benjaminitis elargitum eſſe, aliis tribubus ereptas, Davidis vitæ inſidiatum, Sacerdotes Domini indictâ cauſa occidiſſe, & alia contra fas juſtumque perpetraſſe, non negamus. Quare & rejectus à DEO, & alius rex æqui ac fidei ſervantior in locum ejus electus.

QUAESTIO III.

AN iidem olim fuerint Reges & Tyranni?

Tyrannos (in bona ſignificatione) invenio fuiſſe oppidi aut diſtrictus alicujus rectores, abſolutæ poteſtatis in ſubditos, quanquam ſuperiori poteſtati & ipſi potuerint eſſe ſubjecti.

Sic Herodotus rectores civitatum Ioniæ, regi Perſarum ſervientes, Tyrannos appellat; regem autem, v. gr. Cyrum, Crœſum, &c.

Nec patrocinatur contrariæ ſententiæ Virgilius, qui (utpote Poëta, & verſus modulationi indulgens) modò ita loquitur: *Rex erat Æneas nobis*: modò ita, *Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe tyranni*. Æneas enim non tam rex erat Trojanorum, quam ductor exſulum & profugorum.

QUAESTIO IV.

An ex uſu civitatis mutationem Brutus inſtituerit?

Si cum extremis regni æqualitatis primordia conferantur, dubium non eſt, quin & læta pleriſque ea innovatio fuerit, & civitati commoda ac honorifica viſa. In univerſum verò conſideranti, felicior ſub regibus, certè tranquillior ſtatus fuiſſe apparet. Quid enim niſi januam ad audendum ingenia novarum rerum cupida nacta ſunt; majorem, quò magis viribus & opibus aucta reſpublica eſt? Verbis huic rei accommodatis utar ipſius Taciti, lib. 2. Hiſt. *Vetus, ac jam pridem inſita mortalibus potentiæ cupido, cum imperii magnitudine adolevit, erupitque. Nam rebus modicis, æqualitas facilè habebatur. Sed ubi ſubacto orbe, & æmulis urbibus regi-*

regibuſve exciſis, ſecuras opes concupiſcere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarſere. Modò turbulenti tribuni, modò Conſules prævalidi, & in urbe ac foro certamina civilium bellorum. Mox è plebe infimâ C. Marius, & nobilium ſæviſſimus L. Sulla, victam armis libertatem in dominationem verterunt. Poſt quos Corn. Pompejus occultior, non melior. Et numquam poſtea, niſi de principatu quæſitum.

Relapſa verò in ſervitutem civitas, multò eam acerbiorem quam antea experta eſt, Principibus quam obliquo tramite invaſerant, terrore ſtabilire conantibus, vel mutuâ ſimulatione & diffidentiâ inter infeſtos & infidos anxiè degentibus. Non enim flagitia aulæ ac tot arcana domûs auguſtæ, quæ autore Cornelio ac Tranquillo traduntur, omni legitimo regno, quod multi per nimium ex uno de omnibus judicandi acumen faciunt, ſunt affricanda. Quid enim cautelis ac munimentis opus eſt iis, qui inter volentes ac nullos cuniculos admoventes longa annorum ſerie traditum jus regium uſurpant, aut ſumma obedientium voluntate ad id faſtigium evecti, pro ſalute univerſorum ſtrenuì excubant?

QUAESTIO V.

VTrum tyrannos regno vel vitâ exuere conducat?

Non de iis quæſtionem inſtituo, qui nullo vel propinquitatis vel belli jure ſceptrum arripuêre, arreptum crudeliter ſuperbéque tractant: quos ut privatos pelli, vel etiam ad pœnam vocari à regni proceribus licitum. Verùm de iis loquor, qui regnum legitimè ad ſe delatum non pro exſpectatione civium adminiſtrant, vel qui, quod obliquo tramite intrarunt, in eo regium animum oſtentant, pro civium ſalute ut grege ſuo vigilantes. Utroſque audaci manu aggredi temerarium puto ac nefarium, vel certè cum periculo conjunctum. Nam 1. Periculum eſt, ne divino ordini manifeſtè reſiſtas, ambitioni tuæ aut impatientiæ litando. 2. Aut illis incommodare vis, aut tibi prodeſſe. Utrumque intempeſtivum.

Aut enim benè laudatéque rempublicam gerendo, laudem & adoream merentur, aut ſceleribus inquinati, ipſi ſibi ſupplicii ſatis, te quieſcente, exhibent.

Si mihi non credis, crede Tiberio non

non projectiſſimæ nequitiæ tyranno quiritanti, Libro 6. Annalium: *Quid ſcribam vobis P. C. aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, dii me deæque pejus perdant quàm perire quotidie ſentio, ſi ſcio.* Et Tacito ibidem acclamanti: *Adeò facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant. Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe adſpici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuaſque ipſe pœnas fateretur.* Deindè, quod ſecundo loco poſueram, tibi ut proſis, teipſum remque publicam in diſcrimen aut perniciem præcipitas. Raró enim felices ſortiuntur exitus ejuſmodi conatus. Hiſtorias vide & faſtos temporum. Vetera & recentia non cumulo: ab hiſtoria Auguſtâ tamen non recedo. Romani primos Auguſti impetus, plurimorum funere conſperſos, tolerantes, quietam deinceps per multos annos vitam egerunt. At iidem extremos Tiberii annos non ferentes, & per Macronem cædem quam optaverant perpetrantes, Caligulæ de-

licioli ſui, quod Germanici eſſet filius, furioſam ſævitiam experti ſunt.

Eo quoque per Chæreæ audaciam liberati, in ſtultam Claudii iracundiam inciderunt. Quem veneno ſublatum gaviſi, multò deteriorem Neronem ſenſerunt. Quo ſenatus auctoritate ad ſupplicium expetito, in ſe verſa civitas fatali quadam rabie, annum egit propemodum ſupremum, inter Galbam, Othonem, Vitellium, Veſpaſianum, & horum miniſtros imperatorium animum omnes gerentes, miſerandum in modum dilacerata. Tolerabile igitur malum, metu gravioris, tolera: nec vel juſtam Dei iram, vel Principis excandeſcentiam, provoca. Ferendo vincitur, quatiendo jugum exaſperatur. *Quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala; ita luxum, vel avaritiam dominantium tolerato*, monente Ceriali, 4. Hiſtor.

QUAESTIO VI.

QUid ſentiendum de illa Magiſtratuum multiplicitate & crebra mutatione?

In confuſa hominum indigenarum

&

& accolarum, nobilium & plebejorum, opulentorum & egenorum, ſeipſam non ferente multidudine; exorientibus indies bellorum aut turbarum domeſticarum tempeſtatibus, multa contra veterem morem inveniri neceſſe eſt, non par ſe & ſuâ naturâ expetenda; ſed quod vitioſis corporis humoribus aliter, niſi derivatione quadam, obveniri non poterat.

Quod verò Macchiavellus iſta omnia, atque adeò ipſam ſeditionum rabiem ad ornamentum, conſervationem, augmentum imperii utiliter eveniſſe commentatur, acuminis eſt ſubtilitatis plus habentis, quàm ſoliditatis.

QUAESTIO VII.

CUr nulli ante Octavium occupatio imperii feliciter ceſſerit?

Cauſſa partim in populi Romani, partim in eorum qui inſidiati libertati ſunt, ingenio quærenda.

Populus Romanus naturâ & rebus militiâ geſtis præferox, ac libertatis regibus extortæ tenaciſſimus, non niſi ingentibus cladibus emollitus jugum

ſubire poterat. In Patrum autem cum plebe diſcordia nihil ſolidi inerat. Quam facile enim in diverſa abierant, tam facile intellecto imminentis tyrannidis periculo in unum rurſum coibant.

Hinc fruſtra fuerunt Caſſii, Melii, Manlii conatus. Acrior ab his plebis concitator Marius, nobilitatem & optimum quemque apertè inimicos ſibi fecit, utpote homo nullarum imaginum, bonarum omnium artium rudis, ac odium nobilitatis palàm profeſſus.

Sulla quoque optimatum vindex, quos armis devicerat, non niſi perpetuò armorum terrore continere poterat, inviſus jam vel ipſis, quorum partes tuendas ſuſceperat, ob Dictatoris continuatam poteſtatem, ac nimiam in imperio crudelitatem. Quare non uſquequaque locum habet illud Politicorum, *divide & impera:* niſi forte ita acceptum, ut cauſas ſimultatum in ipſis partibus ſtruendo, & omnes invicem ſuſpectos reddendo, tu ſingulis validior univerſis jugum imponas; aut certè, civitate in duas partes diſtractâ, utriſque fautorem te ſimulando, validâ manu incautis

omnibus

omnibus ſuperior evadas. Quà arte Piſiſtratus patriæ ſuæ impoſuerit; quamque illi feliciter primò, mox variè, ad extremum bellè ceſſerit, diſce à Thucydide, &, qui hæc paullò aliter narrat, Iuſtino.

Sed redeo ad hiſtoriam Romanam: Cæſar Marium ſuperabat eo, quod non ignobili ſtirpe natus eſſet, ac omnibus artibus, quæ hominum favorem conciliant, egregiè imbutus: Sullam autem anteibat eo, quod plebis fautorem ſe in omnibus oſtenderat, nec victoriâ crudeliter uſus erat: Verùm quibus ille impegerit, ſupra innuimus, & comparatio Auguſti nos deinceps docebit.

QUAESTIO VIII.

QUid ſentiendum de Trium-virali conſpiratione?

Validiſſimum ad acquirendam potentiam machinamentum erat. Nam nec ut inter plures conſilia ac vires diſpergebantur; nec ut inter duos bellum inteſtinum facile exoriebatur; nec rurſum, ut in unum conſpirare in proclivi erat. Funis trigeminus difficulter dirumpitur; ait Sapientiæ præ-

ſes. Maximè ſi æquali omnes potentiâ vel virtute fuerint. τὸ δέος ἀντίπαλον μόνον πιστὸν ἐς ξυμμαχίαν, ait Thucydides.

Quaestio IX.

Quid cauſæ, cur Venetorum reſpub. tam diu floruerit, & à ſeditionibus domeſticis, & ab excidio hoſtili immunis?

A vi externâ ſatis illos defendit natura loci, & contracta in arctum potentia.

De cæteris admirabundi prompſere ſententias varii varias. Quas in unum collectas pete è Parnaſſo Boccalini. Quibus pleriſque à me probatis hanc meam addo: Naturalem illis eſſe eum ſtatum, & cum ipſis civitatis incunabulis accreviſſe; cum cæteræ reſp. à regibus conditæ, & aliquandiu gubernatæ, libertatem vindicatam ignoranter aut impotenter geſſerint.

Quaestio X.

Reſpublica Monarchiæ, an hæc illi præferenda?

Quæſtio quæ maximis Politico-

rum

rum primam paginam fecit : & nos eam tractatu, quem *De laboranti regni Statu* ſcripſimus, attigimus.

Ut tamen omnes difficultates utriuſque explicentur, juſto volumine opus fuerit. Quod nos parturimus, modò non ingratum laborem noſtrum viderimus.

Sed veteris reip. proſpera vel „ adverſa, claris ſcriptoribus memo- „ rata ſunt : temporibuſque Auguſti „ dicendis non deſuêre decora inge- „ nia, donec gliſcente adulatione de- „ tererentur. Tiberii, Cajique, & „ Claudii, ac Neronis res florentibus „ ipſis, ob metum falſæ; poſtquam „ occiderant, recentibus odiis com- „ poſitæ ſunt. „

Tranſitio Rejectione figuratâ, in qua hoc agit, ut oſtendat, liberâ quondam repub. erectiora fuiſſe ſcribentium ingenia, quam ſub Imperatorum dominatione : ubi gliſcente adulatione, & ex eâ præmiis, ex offenſione, metu, propoſitis, non ad veritatem rei geſtæ, ſed ad aurium oblectationem acta ipſorum componerentur.

Veteris reip.] Quæ varia morborum ſymptomata & concuſſatiunculas paſ-

ſa, tempeſtate Mariana & Sullana vulnus lethale accepit; dein aliquantulum recreata, & ab ipſis medicis afflicta, animam Dictatore Cæſare egit; mox ut flamma facis interitura ſe recollegit, donec tandem Octavio virus vulneri infundente exſpiravit.

Reip.] Reſpublica Romana dividitur in Veterem ac propriè dictam, & Novam ſive Auguſtalem.

Nec quicquam abſurdi committemus, ſi vel ipſa Regna Rerumpublicarum nomine, latiori ſignificatione, cenſeamus.

Proſpera vel adverſa] Ad hæc duo capita & eorum cauſas & occaſiones referuntur, quæcunque uſquam à bonis hiſtoriographis memoriæ tradita ſunt. Idque non ad vanam legentium oblectationem, ex viciſſitudine variarum rerum orituram; ſed ut eventus rerum cum antecedentibus eorum cauſis ponderando, quæ ſibi ſuæque reip. eligenda, quæve fugienda videantur, aliorum periculo quiſque contempletur. A qua utilitatis meta longiſſimè recedunt, qui proſpera populi ſui nimiis extollendo laudibus, adverſa ſilentio involvunt: qui poëtis mos & declamatoribus, &, qui

qui horum indolem redolent, ſtyli venuſtatem magis quam gravitatem captantibus. Quorum in numero utinam non eſſent Florus & Paterculus, autores alioqui non contemnendi. Græcorum natio adulationi & aurium delinitioni nata, nimium hic triumphat.

Gliſcente adulatione] Quæ liberâ repub. minus locum habet, præmium non facile repertura, & ipſis hominibus in fœdam hanc ſervitutis notam nondum prolapſis. Atque hoc habet liber populi ſtatus, ſi quid aliud, quo ſe præ principatu efferat, non tam vitio ſæpè Principum, quàm eorum, qui Principibus adrepunt. His accedunt obtrectatores, peſſimum genus hominum, & in extremas ac ſolas inſulas deportandum, qui vipereo linguarum ſuarum veneno quamvis optimos Principes adflant, & peſſimos pejores faciunt. Quibus non meliores, qui varia tributorum, vectigalium, & aliorum onerum civilium nomina excogitantes, ad ea ſubditis imponenda Principem impellunt, ut ipſi hiantes corvi majorem prædæ partem inde aufferant, ſanguine civium paſcendi, quem deinde, ubi more ſpongiæ

multum imbiberint, ipſi evomant. Horum numerum augent, *afferentes venalia cuncta, præpotentes liberti*: Tacit. Hiſt. I. *Fumum vendere* ſoliti: ut poſterioris ævi ſcriptores loqui amant: Nec prætereundi Mimi, Pantomimi, Cantores, Aurigæ, gladiatores, & cæteræ theatrales pompæ: quæ & rempub. exedunt, & Principem à cura ejus abducunt, omniſque honeſti ac gravitatis oblivionem inducunt.

Detererentur] Veritate & dicendi libertate jam exſulare juſſâ, victâ à conglobata Paraſitorum aulicorum manu.

Florentibus ipſis, ob metum falſæ] Veritatem premi, non opprimi; communis hominum ſermo fert.

Tegatur licet, abſcondatur: majori vi, quo gravius preſſa fuerit, erumpet, in omnium oculos ac æternitatem famæ evolatura. Quare nihil agis Tiberi, fictâ regni fugâ modeſtiam, compoſito oris vultu clementiam mentiendo. Erunt qui tibi larvam detrahentes, latentem ſub ea deformitatem protrahant. Nihil agis Domitiane, ingenua rectorum hominum ſcripta flammis abolendo, niſi ut illo igni magis luceant ingeniorum opera,

ra, & tua detegantur ſcelera. Nihil denique agis, omni bona arte & ſapientiæ profeſſoribus in exſilium actis, quam ut in omnes mundi oras eos emittendo, latere tuas maculas non ſinas. Excipiet tua dicta, facta, cogitata, ſincerius judicatura poſteritas.

QUAESTIO.

AN liber populi ſtatus feracior ſit ingeniorum, quàm Principatus? A parte affirmante ſtat auctor noſter, non uno in loco: & ex ingenio libertatis ac ſervitutis poſſe probari videtur. Quantò enim mancipia domi noſtræ nata, verberum minis aut compedarum ſtrepitu perculſa, minus ad altiora vel cogitanda vel proferenda eriguntur, quam ingenui, & facultatem, otium, animum ad agendum nacti: tantò qui principis nutum anxiè exſpectant, depreſſiori ſunt animo, quàm ii, qui in libertate nati, ſui ſe juris eſſe & honorum participes noverunt. Clara Taciti ſententia: *Dum res populi Rom. memorabantur, pari eloquentiâ ac libertate. Poſtquam bellatum apud Actium, atque omnem poteſtatem ad unum conferri*

conferri pacis interfuit; magna illa ingenia ceſſere. Simul veritas pluribus modis infracta, primum inſcitia reip. ut alienæ, mox libidine aſſentandi, aut rurſus odio adverſus dominantes. Lib. 1. Hiſtor.

Atque iſta Tacitus ea verborum magnificentia, eâ ſenſus ubertate, ut ex adyto oraculorum depromta videantur. E quibus tamen haud exſtruas univerſalem in regnis ingeniorum in quacunque facultate detritionem. Primò enim, diverſæ ſunt bonorum regum ac verè Patrum Patriæ, qui literas atque artes honeſtas plerumque evocant, ſemitæ, nec cum violenti Principatus moribus ob quandam formæ externæ ſimilitudinem confundendæ. Deinde diſtinguo inter ingeniorum & artium diverſos fines, nec omnes eâdem falce demeto. Hiſtoriarum ſcriptores nec eloquentiâ, nec libertate ac candore veteribus pari monumenta rerum geſtarum poſteris tradere queritur. Quod ego ex parte admitto; ex parte, ſententia dividi juſſâ, amplio.

Quatenus nec eloquentiæ excolendæ tanta honorum incitamenta, nec animo liberè omnia proferendi ſecuritatem tempora præſtant, multum hi-

ſtoriæ

ſtoriæ veræ laudi deteritur, aſſentior. Poſſe autem ſub Principibus magna in hoc genere ingenia naſci, & veritati non magis quam pompæ conſuli, Tacitus ipſe, qui ſub Domitiano ac deinceps vixit, & Livius exemplo eſt.

Oratoria facultas procul dubio magis floruit liberâ repub. quam poſtea Principibus obnoxiâ. Neque enim, uſu ejus ſublato, & præmiis exſtinctis, magna ejus exercitatio eſſe poterat. Nam quid opus erat vel forenſibus patrociniis, uno ortas inter cives lites in arcto dirimente; vel adhortationibus è roſtris ad populum, vi imperii & curâ uni incumbente, vel laudationibus, aut vituperationibus, cum utrumque eſſet periculoſum aut anceps?

In veteri republica *quantò quiſque plus dicendo poterat, tantò facilius honores aſſequebatur; tantò magis in ipſis honoribus collegas ſuos anteibat; tantò plus apud principes gratiæ, plus auctoritatis apud patres, plus notitiæ ac nominis apud plebem parabat. Hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant. Hos ituros in provincias Magiſtratus reverebantur, hos reverſi colebant. Hos & præturæ & conſulatus vocare ultrò videbantur. Hi ne privati quidem ſine poteſtate erant, cum & populum*

populum & ſenatum conſilio & auctoritate regerent. Autor Dialogi de Oratoribus, quem pluribus differentem vide. Sub principibus autem, quid multis apud populum concionibus opus eſt, *cum de republica non imperiti & multi deliberent, ſed ſapientiſſimus & unus?* ait idem autor, ſub finem dialogi.

De reliquis verò artibus quietem ac receſſum ſeligentibus ambigo, vel potius in alia omnia eo. Tullius enim ipſe, Orator, dum aliqua reſpublica fuit, inſignis, dum nulla, Philoſophiam Romanorum primus patriâ linguâ excoluit; nec tam inſulſos, ut vulgò habentur, verſus effudit. Verſioni enim & materiæ graviori erat alligatus. Sub Auguſto verò adeò poëſis efflorеſcere cepit, ut qui ante hoc ævum in ea ſe jactarunt; cum his collati, nugæ meræ eſſe videantur. Senecam verò Philoſophiæ utriuſque genium, & alterum ejus nominis (vel eundem potius) Tragœdiæ ſcriptorem, & Lucanum ſæviſſima Neronis tempora aluerunt, acerbo quidem utriuſque exitu, ſed tamen aluerunt. Quæ verò ſub Trajano, ac deinde M. Antonino floruerint ingenia, vel Græca vel Romana ſapientia imbuta, immen-

immenſum eſſet recenſere. Athenæ quoque fracta potentia, majori quam ante impetu ad philoſophiæ & literarum ſtudia ſe verterunt: Nec Macedonicum imperium Ariſtotelem, Theophraſtum, Criſpinum, Diogenem, alios, à libertate philoſophandi abduxit.

Iam Babylonii, Perſæ, & cæteri ad orientem homines, ad ſerviendum regibus nati, variarum rerum ſcientiâ ante Græcos claruerunt. Iam Ægyptii, à quibus hauſiſſe ſe maximam eruditionis partem Attici ipſi fatentur, ab omni hominum memoriâ regibus paruerunt. Quod ſi aleam judicii de noſtro ſeculo ſubire extra invidiam poſitum foret, latiſſima mihi area decurrenda panderetur. Nunc levi perſtrinxiſſe brachio ſummam rerum ſuffecerit. Venetos Muſices & omni genere artium floruiſſe, ac etiamnum florere, nemo negabit. Sed nec minus in eâdem Italiâ Hetruria inſignes eruditione varia viros fovit. Baſilea de literaturâ benè merita eſt: nec minus Vienna Auſtriæ. Academiarum ac Gymnaſiorum frequentiâ, & edendorum librorum copiâ ac nitore, Belgæ omnes nationes provocant.

cant. Non minus Gallia, & ipſâ quidem regum liberalitate adjuta, in hanc arenam audacter deſcenderit.

Diſtinguenda igitur, ut ante dixi, bonorum & malorum Principum imperia; artes elatiores à quietioribus: nec ſine limitatione de hujuſmodi rebus pronunciandum.

„ Inde conſilium mihi pauca de
„ Auguſto, & extrema tradere: mox
„ Tiberii principatum, & cætera:
„ ſine ira & ſtudio: quorum cauſſas
„ procul habeo.

Propoſitio futuri operis, quod Annalium nomine inſcribitur, ab extremis Auguſti ad finem uſque Neronis; à quo jam libros Hiſtoriarum exorditur, vel potius his præmiſit. Siquis autem diſcrimen horum vocabulorum ignorat: Hiſtoriarum plenior tractatio, Annalium jejunior: illarum ſtylus floridus & exultans, horum tarda compoſitio & conciſa. Diverſa ab utriſque Acta & Diurna, quibus diurnæ urbis & ſenatus actiones inſcribuntur, minus etiam illuſtres, nec ætatem laturæ. Cum quibus minimè confundendi Commentarii, ὑπομνήματα. Quæ quid ſint, Hotomannus in Cæſarem te doceat.

Pauca

Pauca de Auguſto] Eaque graviſſimis monitorum oraculis condenſata, quæ fructus potius utilitatem, quàm florum amœnitatem conferant: omiſſis frivolis ac inanibus, quibus cæterorum Hiſtoriæ auguſtæ ſcatent.

Extrema] Quæ jam invaleſcente adulatione minus ſincerè tradebantur.

Sine ira & ſtudio] Scriptorem rerum ac temporum & cæcum eſſe ſurdumque convenit; ac rurſus auditu & viſu acutiſſimo. Hoc, ut res à vulgi cognitione abſtruſas inquirat: illud, ut, quos vera tradendo offendat vel demulceat, non ſentiat.

Studio] Placendi, & favorem quorundam ambiendi. *Ambitionem* alibi vocat, & adulationem: quibus opponit *livorem* & malignitatem. Lib. 1. Hiſtor. *Ambitionem ſcriptoris facile adverſeris: obtrectatio & livor pronis auribus accipiuntur. Quippe adulationi fœdum crimen ſervitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt.*

Quorum cauſſas procul habeo] A præſentia illorum & ætate remotus, ita ut nec beneficio mihi, nec injuriâ cogniti ſint. Præterea imperio jam ad alios, & quidem exteros (Nerva enim

enim & Trajanus Hiſpanienſes erant) devoluto, offendere poſteros illorum, quos carpo, aut iram Principis provocare, non vereor.

QUAESTIO I.

QUid præcipuè in hiſtoriarum ſcriptore requirendum?

Ut ſine propenſione vel odio partium ad ſcribendum ſe accingat. Id quod h. l. autor de ſe promittit: & principio alterius operis: *incorruptam fidem profeſſis, nec amore quiſquam, & ſine odio dicendus eſt*. Hanc laudem Viri magni Salluſtio inprimis ac Tacito tribuunt: mirum cur omittant hoc in genere Livium. An quod res à ſuo ſeculo remotas ſcribit, quarum nec oculatus teſtis nec auritus eſſe potuit? an quod antiquæ fabulæ & portenta fidem demunt? atqui ne Tacitus quidem Annales ſuos, niſi è commentariis majorum, aut quæ fando tradita accepit, congeſſit: & Livius quid de fabularum nugis à vetuſtate creditis ipſe ſentiat, ſatis aperit.

Quæ-

QUAESTIO II.

AN non ſunt aliæ virtutes Scriptori neceſſariæ?

Sunt, ut rerum, maximè civilium, cognitio: ſtylus vel jucunditate fluens, vel, quod magis probem, gravitate aſſurgens: prudentia, in omni pagina, verſu, dictione eminens. Græcorum in hoc genere præcipuus mihi eſt Thucydides, lectorem tamen requirens exacti judicii, nec ad ſcripta ipſius novum. Horridus enim accedentibus eſt, aſper, obſcurus: aſt, ubi intraveris, & aſſiduitate legendi in familiaritatem ejus penetraveris, cum ſublimitate amœnus, cum gravitate cultus, cum ſummâ eruditione fluens.

Poſtquam, Bruto & Caſſio cæſis, „ nullâ jam publica arma, &c. „

In exſequendâ hiſtoriâ *non modò caſus eventuſque rerum, qui plerunque fortuiti ſunt, ſed ratio etiam cauſſæque noſcantur.* Quam legem ſibi ipſi præſcriptam (Lib. 1. Hiſtor.) Cornelius hîc obſervandam duxit, ut, qua occaſione quibuſve mediis Octavius principatum vel aggreſſus fuerit vel firmaverit, paucis edoceret. Nos cauſis proximis non

non contenti, originem mutationis tum Romanæ tum aliarum rerump. altius repetemus, brevitati, quantum ſine jacturâ rerum fieri poterit, conſulturi.

Primam ac ſupremam cauſſam ponimus, juſtam ac humanæ mentis aciei non penetrabilem *Voluntatem Dei*, omnibus rebus creatis, nedum regnis ac rebusp. certos quoſdam revolutionum ac durationum terminos præſcribentis. Stat pro hoc effato prophetia Danielis, & plerorumque Politicorum ſententia de fatali rerumpub. periodo.

Hoc eſt illud primum ac ſupremum mobile, inferiora ſuo quamvis motu euntia rapiens: hic auctor & diſpenſator omnium: *ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, à quo ſunt omnes cauſſæ cauſſarum.* Seneca. 2. Quæſt. cui ſcriptor Tragicus accinit:

Quicquid agimus mortale genus,
Quicquid patimur, venit ab alto.

Quod nos olim hoc elegiaco diſticho mutavimus:

Quicquid agunt homines, quicquid patiuntur, ab alto
Manat: hic eſt omnis fons & origo boni.

Et

Et ante nos licentius Poëta Italus :

Tutto quel che c' incontra,
O di bene, o di male,
Sol di la ſù arriva : come fiume
Naſce da fonte, ò da radice pianta.

Atque ita quidem, ut nullo humano conſilio expugnari poſſit. Græcum audi ſcriptorem (Herodotum) Ὅτι δεῖ γίνεσθαι ἐκ τοῦ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνθρώπῳ. Et Romanum : *Nec conſilio prudenti, nec remedio ſagaci, divinæ providentiæ fatalis diſpoſitio ſubverti vel reformari poteſt.* Appulejus.

Peculiari verò curâ ad tantarum rerum motus, ad gubernationes regnorum ſupremus omnium gubernator accedit. Qui quamvis juſtè in omnibus & ſanctè agat, non tamen ſuâ ſanctitate à culpa eximit homines, ſuis vitiis ruinam ſibi ac perniciem accerſentes. Quin utriſque aliquando, & principibus & ſubditis, juſta de cauſſa iratus, populum in manus cujuſdam duriter tractandum tradit. Teſtimonia de utroque ſcripturæ ſacræ audi. *Aliquando* (inquit vir ſapiens) *alter alteri in perniciem ſuam dominatur.* Et de regno Saulis apertè DEUS apud Prophetam : *Dedi illis*

regem in ira mea. De Ægyptiaca Pharaonis crudelitate, de Aſſyriaca Nabuchodonazaris dominatione, de mutuo excidio Abimelechi & Sichemitarum, quibus inſtrumentis uſus eſt DEUS ad affligendum, caſtigandum, vel exercendum populum ſuum, idque cum damno inſultantium, notior eſt hiſtoria, quàm ut adduci aut explanari debeat. Ne Cyri quidem tot ætatibus ante promiſſi ab Eſaia regnum, & erga Iudæos propenſio obſcura eſt aut eſſe debet.

Quærenti igitur cauſſam tanti motûs, & tranſlati imperii è Senatus populique manu ad unius voluntatem, ſimpliciter reſponderi poteſt, Adfuiſſe tempus revolutionis, & DEO, in cujus manu regna ſunt & eorum diſpoſitiones, ita viſum eſſe.

Providentiam, primam rerum omnium ſcaturiginem, orbem illum imperii non ſine ſtrepitu circumegiſſe. Hanc qui tollit è rebus, DEUM ipſum tollit, fortuito motu res humanas ferri, atomorum ritu, arbitratus. Quæ adeò clarè in operibus mundi & rerump. converſionibus effulget, ut qui timorem ac cultum Dei ſibi & aliis eximere conatus eſt, Epicurum impietate

tate ſupergreſſus Lucretius, victus veritatis fulgore exclamet:

Vſque adeò res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulchros faſces, ſævaſque ſecures
Proculcare, ac ludibrio ſibi habere videtur.

Nihilominus cauſſas tantorum motuum & in hac ſublunaris orbis fæce indagabimus, ut quod converſionum illo torrente luti trahitur, defæcatum à limpido voluntatis divinæ, maculari neſciæ, fonte, cauſſarum ſecundarum ſedamento apponatur.

Cauſſarum quæ evertendo Statui imminent, aliæ in iis, qui libertati populi inſidiantur, quærendæ ſunt; aliæ in ipſis reip. languentis viſceribus hærent.

Ex iis quæ intus homines propellunt ad facinus invadendæ libertatis, arcem occupat quaſi regina vitiorum, *ambitio* & eminendi ſtudium. Quod ſpecie blandiens monſtrum, cum interiori ſcateat immanitate, generoſiſſimam quamque naturam invadens, cum veniâ peccare, atque ultrò laudem ſibi depoſcere audet. Hæc, ut innumeros alios prætermittam, Cæſari facem ad civile incendium prætulit; hæc animum pueri altè ſuccincti

 erexit,

erexit, periculorum atque mortis exempta memoria. Hæc eadem Octavium hæredem ejus cervicibus urbis accivium; ſorte communi altius elatum, impoſuit.

Exercitus illi ducebant; illos ambitio: huic humiliter ſerviebant, ſuperbè ut aliis dominarentur.

Libertatem quam aliis ereptum iverunt, ſibi ademerunt. Quæ enim libertas eſt, vel quæ vita potius, inter cupiditates & tormenta animi, mutuum inter terrorem & odium diviſa? Arcus triumphales, Imperatorium nomen, prætorianæ cohortes, ærarium ac fiſcus principis, cætera ſubſidia dominationi, oneroſa & infida, vitam nec beatiorem reddunt, nec moleſtiis liberam. Et tamen hæc ut adipiſcerere, Thurine Octaviane, te, vitamque, facultates ac exiſtimationem tuam in dubiam eventûs aleam conjeciſti, urbem, Italiam, provincias cruore irrigaſti, veteres Latii agri incolas antiquis expuliſti ſedibus, ut ingratis militibus eos attribueret, cœlum denique & terram, ſupera cum inferis miſcuiſti. Non fuit tanti, curas diurnas, vigilias nocturnas, periculoſam juventutem, ſolicitam ſenectutem

gemitu

gemitu tot civium ac ſociorum redemiſſe. Quanto ſapientius ille, qui diadema regium, ſi in trivio inveniretur, ne ſublevandum quidem putavit. Et reges quidem legibus & auſpicio creatos veri honores, vita ſecurior, aut, ſi in cives ingratos inciderint, animi ſaltem tranquillioris applauſus excipit. Vos verò qui per ambitionem, qui per vim & fraudem invitis imperatis, vel inſultatis potius, ſi nondum tædio præſentis veſtræ vitæ didiciſtis, audite nobiliſſimi Baptiſtæ Guarini judicium:

Vagan tra que' ſuperbi aurati chioſtri
Larve, che copron d'ira e di tormenti,
Se vederli ſapeſte, orridi moſtri.
Non mirate la ſtorza, incaute genti,
Che ſon lacci le gemme, e gli ori, e gli oſtri,
E' ſervi coronati i Rè potenti.

Animis minus generoſis ex altera parte claſſicum canit *Avaritia*, & ſpes adipiſcendi agros, domos, ſervitia, aurum & argentum; vel huic oppoſita Luxuria, & ex ea orta Egeſtas, & æs alienum. Parte aliâ tubam præcinunt ſuperbiæ pediſſequæ *Ira* & *Invidia*. Aliquando & *Metus* agmen ducit, verus, vel velandæ cauſſæ aſſumtus.

Avaritia Craſſum Catilinianæ conjurationis participem aut ſuſpectum fecit. Avaritia Cæſari & Pompejo in perniciem patriæ eum conjunxit. Avaritia & Parthici auri deſiderium in bellum injuſtum & male ominatum eum protruſit.

Luxuria, & vitio contracta paupertas, & ex potentiorum fortuna dolor, in Ciceronem & alios homines novos Ira, Catilinam cum ſociis ſceleris in conjurationem inauditam adegit. Eadem vitia, & aſſultus pallio metus Othonem ad turbandas res compoſitas impulerunt. De quo eximiè noſter, lib. I. Hiſtor. *Intereà Othonem, cui compoſitis rebus nulla ſpes, omne in turbido conſilium, multa ſimul exſtimulabant, luxuria etiam principi onerosa, inopia vix privato toleranda; in Galbam ira, in Piſonem invidia. Fingebat & metum, quo magis concupiſceret.* Eadem, præter honorum ſtimulum & animum non mediocrium capacem, Iulio Cæſari præſultarunt. Abliguritæ patriæ opes, æs ingens alienum contractum, invidia in Pompejum nimis creſcentem, reſpirare hominem ſuperioris impatientem non ſinebant.

Ut autem aliquod cauſſæ ſuæ velum

lum

lum obtenderet, juſtam in adverſarios iram, & ex Pompejo metum, ſi privatus & exercitu nudatus in urbem veniret, fingebat. Iiſdem igitur, aut non multum diverſis, quibus Catilina & Otho, homines luxu perditi, ſtimulis Iulius in perniciem publicam agitatus eſt.

Pluribus hæc Leſbia Regula accommodari poſſit, ſi per vetuſta ac recentia exempla eundo, otio lectoris abuti animus eſſet.

Ad ipſas rerumpublicarum vitioſas qualitates nos vertimus, interiores evertendorum Statuum cauſſas. Quas inter primo loco ſe offert *incrementum* portentoſum, & res ex voto nimium fluentes.

Domus altius elata, quàm ferendo eſt fundamentum, & alia ſuper alia contignatione onerata, quo magis in faſtigium evehitur, in ruinam properatur. Corpora vaſtâ membrorum mole, aut adhærente adipe turgida, & ad agilitatem inepta ſunt, & ictibus telorum in vulnera patent, & aëris intemperiei ſunt obnoxia. Nunquam magis valetudo ſuſpecta eſt, quàm ubi voluptate quadam ſpiritus demulcente, belliſſimè nobis valere videmur.

Ideóque vir naturæ conſultiſſimus Verulamius, libro de Hiſtoria Vitæ & mortis, in eo ſanitatis dubiæ ſtatu quieſcendum, nec vel laboribus exhauriendum, vel epulis onerandum corpus, contra quam vulgus facit, monet.

Eadem ratione reipub. corpus, ubi nimiâ mole excreſcit, tantum ab incolumitate abeſt, quantum à fundamenti ſui complexu recedit. Multis rationum ſeptis munire hanc ſententiam queam: Sed malo id facere verbis Boteri, viri inter Politicos magni meritò nominis: ut ad argumentorum pondera auctoritatis accedat veneratio. Is libro primo *Della ragion di Stato* dubitationem propoſitam, quænam Imperia durabiliora ſint, magna, parva, an media; in hunc modum reſolvit. *Res certa eſt, aptiora ad defenſionem ſui eſſe media. Si quidem parva ob debilitatem ſuam facile expoſita ſunt violentiæ & injuriis majorum, quæ (quomodo rapaces aves parvis paſcuntur, & magni piſces minutis) ea inglutiunt, & illorum ruinâ ſe extollunt: quemadmodum Roma excidio vicinarum urbium crevit; & Philippus Macedoniæ rex oppreſſione rerumpubl. Græciæ.*

Imperia magna vicinos ad æmulationem

&

& ſuſpicionem incitant: quod ſæpe-numerò eos ad unitionem inducit. Et multi uniti faciunt, quod unus non poteſt.

Sed multò præterea magis cauſſis ruinarum intrinſecis ſubjecta ſunt. Cum amplitudine enim creſcunt divitiæ; & cum his vitia; luxus, ſuperbia, libido, avaritia radix omnium malorum: & regna, quæ frugalitas ad ſumma perduxit, per opulentiam dejecta ſunt. Præterea amplitudo ſecum fert confidentiam virium ſuarum; confidentia negligentiam, otium, contemtum & ſubditorum & hoſtium. Ita ut ejuſmodi Status locum ſuum ſæpè ſervent, magis rerum præteritarum exiſtimatione, quàm robore vel fundamento præſenti. Et quemadmodum aurum chymicum oculis probatur, lapidi lydio improbatur: ita ejuſmodi dominia plus famæ habent quàm nervi; ſimilia arboribus quibuſdam proceris, ſed vacuis & carioſis; & hominibus vaſti corporis, ſed exiguarum virium. Id quod experientia clarè monſtrat. Sparta, quàmdiu intrà terminos à Lycurgo præſcriptos ſe continebat, pluſquam ulla civitas Græciæ & viribus & exiſtimatione florebat. Verùm ubi imperii fines protulit, ſubjectis Græciæ civitatibus, & Aſiæ regnis, retrò labebatur: ita ut, quæ ante Ageſilaum nunquam viderat fumum, nedum arma hoſtium, poſtquam debellaverat Athenienſes, Aſiamque vaſtaverat, cives ſuos in fugam con-

converſos vidit à Thebanis, gente viliſſimâ, & nullius pretii. Romani domitis Carthaginenſibus, Numantinos viginti quatuor annorum ſpatio expaverunt; victis tot regibus, ſubjugatis tot provinciis, cæſi ſunt à Viriatho in Hiſpania, à Sertorio exſule in Luſitania, à Spartaco in Italia, obſeſſi penitus & fame preſſi à piratis. Robur viam ad amplitudinem per medias difficultates aperit: quò ubi pervenit, properè ſubſiſtit involutum divitiis, enervatum deliciis, enectum voluptatibus. Maximis tempeſtatibus & periculoſiſſimis procellis in alto mari regitur: (navis) perditur & naufragium facit in portu. Tunc generoſæ cogitata deficiunt, & facta magnifica, & expeditiones laude dignæ: quorum in locum ſuccedunt Superbia, arrogantia, ambitio, avaritia Magiſtratuum, importunitas plebis.

Non jam militiæ duces, ſed ſcurræ favore allevantur; non bellatores, ſed nugatores; non veritas, ſed adulatio. Non jam virtus in pretio, ſed divitiæ; non juſtitia, ſed munera. Simplicitas cedit fraudi, bonitas malitiæ: ita ut imperia creſcentia labefactentur, de firmitate fundamentorum laborantia. Et quemadmodum ferrum producit ferruginem, quo exeditur, & fructus maturi ex ſeipſis gignunt vermes, à quibus corrumpuntur: ita magna imperia certa vitia pariunt, à quibus paulatim, aliquando & uno ictu, peſſundantur.

Hæc

Hæc ille, verbis oraculis Apollinis verioribus: quæ in gratiam eorum, qui vel autorem deſiderant, vel Hetruſcæ linguæ imperiti ſunt, ſimpliciter & ad verbum tranſtuli. Quibus & aliam præterea rationem adjungo, ne ipſam quidem meis verbis, verùm ſcriptoris rerum ab Alexandro geſtarum florentiſſimi, Qu. Curtii: qui quaſi ſybillino ſpiritu plenus tanquam ex adyto profert ſaluberrima hæc monita, lib. 4. *Prægrave imperium difficile eſt continere, quod capere non poſſis. Videſne, ut navigia quæ modum excedunt, regi nequeant? Neſcio an Darius ideò tam multa amiſerit, quia nimiæ opes magnæ jacturæ locum faciunt. Facilius eſt quædam vincere, quàm tueri: quam hercule expeditius manus noſtræ rapiunt, quàm continent.* Quin & inſidiis nefariorum hominum exponitur imperii ſedes, armis in extremis mundi finibus peregrinantibus. Catilina ſanè ad ſpem improbam, ad trucidandi ſenatus, diripiendæ urbis conſilia illectus eſt; quia, ut ait Salluſtius, *in Italia nullus exercitus, Cn. Pompejus in extremis terris bellum gerebat.* Sapienter itaque Auguſtus, imperandi callentiſſimus, dederat *conſilium coërcendi intra terminos imperii:* Tacit. lib. 1. Annal.

Attamen, ut quod ſentio liberè dicam, amplitudo imperii & indulgentia fortunæ, occaſio magis eſt quàm vera cauſſa ipſius ruinæ.

Hoc amplius addo; imperio benè ante fundato, quàm extenſo; quamdiu in eo legum, diſciplinæ, ordinis vigor manet; aut, ſi quid in moribus lapſum fuerit, reformatio ad priſtinum ſtatum tempeſtivè inſtituta fuerit; ab incremento nihil eſſe periculi. Præſertim ſi unita ſint imperii membra, &, ſi fieri poteſt, circuli in morem circumducta, naturâ præterea aut arte ita munita, ut adventantem hoſtem facile excludere, ipſa autem quovis terrarum copias emittere poſſint, & hominum vigeant induſtriâ militari & armorum uſu exercitatorum abundantiâ, quodque maximum eſt, concordiæ muro ſint vallata. Sed quia res eſt nullius exempli, cum incremento reip. non ea vitia illabi, quæ ex Botero adduximus; rectè concludimus, non tam ſtudendum eſſe terrarum & urbium acceſſioni, quàm diſciplinæ militaris ac domeſticæ conſervationi, &, ſiquid in eâ erratum fuerit, temperanti correctioni.

Nam, ut Hiſtoriæ Romanæ ſcriptor

teſtatur,

teſtatur, *Felicitas reip. non conſiſtit in magnitudine, ſed in ſumma imperandi parendique prudentia.*

Quemadmodum igitur reipublicæ corpus à cauſis perniciei ſuæ externis præſervari poſſit, quanquam à præſtantibus ingenio & doctrinâ viris multis modis traditum ſit, tamen & nos pro virili admonere conabimur.

Quæ multorum ore & calamo inprimis feruntur; *Luxuria*, *Superbia*, *Deliciæ*, *Diſciplinæ laxitas*, *factiones*, *diſſidia religionum*, & ſimilia, ut omnibus obvia, nec à quoquam ſano in dubium vocata, in præſens à me omittuntur. Quæ verò ſpecie gravitatis adblandiuntur, & ut ſtatum quam maximè conſervantia rudioribus imponunt, ea nequaquam ſilentio transmittenda. Ex hoc genere eſt pecuniæ ſtudium, & *divitiarum honos*. Qui detrahendus, & ad veram frugalitatem homines revocandi, ſi nos remque publicam ſalvam velimus. Nimium enim hac in parte laboratur: & ita laboratur, ut de medici, quamvis periti ſſimi, ope deſperandum eſſe videatur.

Vnde habeas, quærit nemo, ſed oportet habere.

Iterum :

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi ———

Et

——— *quærenda pecunia primùm,*
Virtus poſt nummos.

Rurſus.

Et genus & virtus, niſi cum re, vilior algâ eſt.

Et

Quantum quiſque ſua nummorum poſſidet arcâ,
Tantum habet & fidei. ———

Oracula verſuum ab indignantibus ſatyrarum ſcriptoribus emiſſa. Non quæ omni ætate æquè in uſu fuerint, ut vulgò putatur: ſed corruptiſſimo ſeculo & antiquorum morum, quibus reſpublica ſtetit, oblito nata, noſtris moribus nimis quam applicantur.

Nummos enim, agros, villas omnes crepant: iiſque honeſtatem propè ſolis metiuntur; virtutem inopem aſſe non emturi. Magno, ſi quid veri tradunt prudentiæ conſulti, cum reipub. damno! Nihil enim generoſum, nihil altum, vel publicis vel privatis in rebus, concipere poteſt animus

animus pecuniæ ærugine detritus. Timidè omnia, cupiditate tenendi quod habet; vel contrà inconſultò, ſpe lucrandi dementatus, decernet. Præterea obnoxiè ſententias feret, metuens ne quem cum rerum ſuarum jacturâ offendat.

Iam, ſi qua eſt reſpublica, quæ vitium iſtud toto ſinu admiſit: periculum eſt, ne, quam libertatem majores fortunarum ac ſanguinis profuſione redemerunt, eam fortunarum acceſſione, privatim quoque in lucrum ſuum inhiante, aliquando permutet.

Non igitur explodenda eſt Politicis Poëtarum ac Philoſophorum de contemtu pecuniæ inſerta omnibus penè libris doctrina.

Non enim tranquillitatem animi tantum offuſcat (quò præcipuè collimant Philoſophi) feſtinatio illa diteſcendi: verùm etiam curam reipub. quemadmodum docuimus, enervat.

Nec hic ſubſiſtit virus iſtud; longius atque in ipſa viſcera ſerpit: quicquid eſt uſquam priſci atque integri moris, perverſurum.

Homines à naturâ aut inſtitutione benè informati, cernentes virtutem & eruditionem præteriri, divitias autem

tem & earum cultores honorari: relictâ & ipſi virtutum ſemitâ, trita à multis devia ſequuntur, & quam integritate morum aſſequi non poterant, perverſitate exiſtimationem captant. Non enim cujusvis eſt, recta ac laudabilia ferendo, contemtum ac contumeliam lenonum & cauponum opulentorum æquo animo metere. Hinc impoſturæ, rapinæ, adulationes, prævaricationes, & nihil uſquam fidum. Hinc proditiones, perfugia, oblivio aut odium patriæ & antiquæ religionis.

Hinc publica tandem vitiorum confeſſio, & peccandi non tam licentia quàm neceſſitas.

Munia militaria ac honores fori tacitâ quadam lege, & quaſi conceſſo jure, emuntur venduntùrque.

Quæ ſalus eam remp. ſi maximè velit, ſervare poſſit, ita palàm pecuniæ ſe mancipantem?

O urbem venalem, ſi emtorem repererit, Iugurtha Urbe egreſſus proclamavit. Et reverâ à Iugurthino maximè ſeculo initium reipub. transmutatæ computandum. Inde enim ſemper diſceptatum, non utrum, ſed utri Roma ſerviret.

Quan-

Quanquam ſunt, & quidem non è trivio doctores, qui hanc nundinationem defendentes, ratiunculis ingenioſis vitio patrocinantur. Arcanum eſſe reip. ajunt, divitias, quibus fulciatur reip. ſalus, honorari; opulentos undecunque attrahi; homines iſto modo ad ſedulitatem excitari; venundationes munerum tam militarium quam paganorum eſſe ex uſu reip. ut ita pignore aliquo interpoſito, munia ſua fideliùs obeant, patriæ & charitate & arrhâ quadam, pro iis fide jubente, obligati.

Quaſi verò utiliorem reip. operam navaverint Craſſus vel Apicius, vel denique P. Clodius; quàm Scipio Africanus, quàm Aſiaticus, quàm Æmilius Macedoniæ & Achaiæ victor, quàm F. Camillus fulmen illud belli & patriæ è cineribus ac morte ſuſcitator, quàm Curius terror Samnitum, quàm Fabricius Pyrrhi domitor, quàm alii antiquorum morum ac verè Romani: qui pauperes hoſtibus locupletiſſimis devictis tantum hæredibus non reliquerunt, quod ſepulturæ ſufficeret; collato à tribubus ære efferendi. *Moribus antiquis res ſtat Romana*; ô boni, non his novis, qui eam

eam funditus everterunt. Quod ſi tamen aliquid pecuniæ tribuendum; malim ærarium eâ compleri publicum, quàm privatorum arcas, virtutum incitamentum futurum, non vitiorum fomitem. Publicas univerſi divitias non rejicio; privatas indignorum non laudo. Venetorum Statum tam diu felicem permanere, qui arcana rerump. ſcrutantur, inter alias & hanc cauſam eſſe ajunt, quòd publicè potius opes, quàm privatim, congerunt, & navigationi quàm fœnori incumbunt. Quo nomine eos vicinis, & maximè Genuatibus, longè præferunt. Ego verò & his illos, & utriſque eos longè antefero, qui & publicè & privatim virtuti potius & veræ honeſtati, quàm divitiarum incertæ poſſeſſioni ſtudent. Pecuniamque, ſi adſit, ſic admitto, ut ſit inſtrumentum, non detrimentum rerum honeſtè & cum laude gerendarum.

At verò nervi rerum gerendarum pecunia: quibus deſtitutum reip. corpus nec movere ſe, nec conſiſtere diu poteſt. Ita enim rerum civilium Doctores dictitant: & oraculi loco proferunt illud Demoſthenis: Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστιν ἄγεαξ

τῶ

τῶν δεόντων. Quod ab inflato Oratore prolatum, in republica non jam virtute civium ſubnixâ, ad eos qui Philippum decretis debellabant, cæterum & corporibus ipſi ſuis & nummis parcebant, & præterea facultates, quæ ſupererant, publicas, ad ſe & ludorum ſpectaculum rapiebant: temerè ad privatam pecuniæ colligendæ diligentiam transferri non debebat.

Atqui cives opulenti facilius belli ſumptus ferent: & hoſte ingruente pro facultate quiſque conferet. Si hæc anima eſt belli gerendi, magis probaverim dictum illud, quod Pericli à graviſſimo auctore tribuitur: *αἱ περιουσίαι τοὺς πολέμους μᾶλλον, ἢ αἱ βίαιοι εἰσφοραὶ ἀνέχουσι.* Quod confirmat noſtram de publica opulentia privatæ anteferendâ ſententiam. Non tamen ut in ea omnia reponamus, quaſi pacis vel belli negotia nullo modo ſine eâ procedere poſſint, aut in præliis plerunque ſuperior ſit qui locupletior. Vetera enim & recentia eventuum exempla intuenti contrarium potius liquebit, opulentiſſimum quemque populum ab egentiſſimo debellatum. Tamerlanes, paſtor primùm armentorum, dein latronum ductor,

ductor, mox confluentium è Tartaria egenorum hominum juſtus dux factus, Bajazethem Europæ terrorem, ac opulentiſſimum Aſiæ regnum calcavit. Si antiquiora, & gentes magis illuſtres in exemplum nobis conquirenda; Babylonicum imperium auro ex omni Aſia convecto, munitum, incultiores Medi ſolverunt: Medos jam inſolentiores, derivata ad ipſos auri vena: Perſæ, gens aſperitate montium & duriſſimâ paupertate innutrita. Perſas opulentiores, non meliores reddidit mercatorium Darii ingenium. Atque ab eo tempore retrò labi res Perſarum, & in deterius mutari. Nam & ipſe cum ingenti exercitu Scythiam, & poſtea Græciam ingreſſus, ab utriſque cum ignominia repulſus eſt: & filius ejus Xerxes nimia potentiâ ſtolidè fretus Græciam, quam copiis hominum memoriâ maximis tentavit, turpi fugâ deſeruit: nec quicquam à gente tam celebri memoriâ honeſtâ dignum poſtea ſuſceptum, donec tandem inopi Macedonum virtuti ingens Perſarum opulentia ſuccumberet. Inter Græcos ipſos, Athenienſes, poſt ejectos Medos & occupatas inſulas maris Ægæi, jam locu-

locupletiores facti, à Lacedæmoniis debellati ſunt, hominibus qui divitiis ante, quam hoſtibus, bellum indixerant. Qui & ipſi tanta victoriâ elati, & Aſiæ magnâ parte vaſtatâ, cum à patriis moribus recederent, quibus tot ſecula à Lycurgo uſque ſteterant, à contemta Thebanorum gente, ductore Epaminonda, inopi, ſed forti & erudito, propè deleti ſunt: certè nunquam ſe poſt id recollegerunt. Immenſum eſſet omnes Romanorum; Germanorum, Gothorum, Turcarum, diverſâ ſub fortunâ diverſos bellorum eventus perſequi. Belgæ federati patrum memoriâ, quâ tantâ nummorum potentiâ, florentiſſimum opibus ac curſu victoriarum regnum aggreſſi, in libertatem ſe vindicarunt? Sueci quibus vel aurifodinis, vel negotiationibus longinquioribus freti, Moſchos, Danos, Polonos, Germanos, omnes longè ipſis opulentiores, armis plerunque victricibus provocarunt? *Malo virum, qui pecuniâ indigeat; quàm pecuniam quæ viro*, ait ille. Ita eſt: facilius virtute pecunia, quàm pecuniâ virtus acquiritur: multóque facilius virtutem pecunia, quàm virtus pecuniam corrumpit.

Nec cuiquam hæc mea aſſertio no-

va, aut à politicâ ratione abhorrens videri debet. Nam ut æquitate, ita validâ antiquorum auctoritate munitur.

Non eſt quod exſpectetis Horatium, Euripidem, Senecam, Epictetum: nec jam ſacra Prophetarum ac Apoſtolorum oracula, & ex his Eccleſiaſticorum Doctorum monita timeatis. Quibus quidem, ſi velim, obruere vos poſſim. Ad ipſos vos fontes Politices ablegabo, principes dico Hiſtoriæ Romanæ, Salluſtium, Livium, Tacitum; & Politicorum coryphæum Macchiavellum. Et Salluſtius quidem ita apertè pro nobis ſtat, cùm Catilinario & Iugurthino opere, tum inprimis oratione ad Cæſarem de conſtituendâ republicâ, ut hanc unicam cauſſam agere voluiſſe videatur. Livius frugali veterum Romanorum paupertate, non minore judicio quàm eloquentiâ, collaudatâ, vexillo ſublato ad partes noſtras tranſit. Et quanquam exemplis magis egregiè deſcribendis, quàm ſententiis ſuis clarè promendis pugnat: tamen aliquando ſibi non temperat, quin exclamet. Ut in hiſtoria de Cincinnato: *Operæ pretium eſt audire, qui omnia præ divitiis humana ſpernunt, neque honori magno locum, neque virtuti*

virtuti putant eſſe; niſi effuſæ affluant opes. Et in principio operis: *Nuper divitiæ*, &c.

Ne Tacitus quidem veſter, quanquam aulicus & dives, nimium hic Tacitus. Ex quo, quia auctoritatem ejus non facile infringi novi, loca quædam adferam. Lib. 1. Hiſtoriar. *Secundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant: quia miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.* Hiſtor. lib. 2. *Rebus modicis æqualitas facile habebatur. Sed ubi ſubacto orbe, & æmulis urbibus regibusve excisſis, ſecuras opes concupiſcere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarſere*, &c. Et *nunquam poſtea niſi de principatu quæſitum*. Lib. 4. Hiſtor. Helvidium Priſcum eo nomine commendat, quod *ingenium illuſtre altioribus ſtudiis juvenis admodum dedit: non ut plerique, ut nomine magnifico ſegne otium velaret, ſed quò firmior adverſus fortuita Remp. capeſſeret. Doctores ſapientiæ ſecutus eſt, qui ſola bona, quæ honeſta, mala tantum quæ turpia; potentiam, nobilitatem, cæteraque extra animum, neque bonis, neque malis annumerant.* Ac mox cum laude de eodem: *opum contemptor, recti pervicax, conſtans adverſus metus.* Nec longè ab his, *nullum majus boni imperii inſtrumentum, quàm bonos amicos.*

Non

Non igitur pecuniæ ut uni imperii fundamento omnia tribuenda.

Eodem libro, Civilis Dux Batavorum non ſtrenuus magis quàm prudens diſertè ait: *Libertatem naturâ etiam mutis animalibus datam. Virtutem proprium hominis bonum.* Ergo pecunia poſt virtutem, poſt libertatem; vel militaris hominis judicio. Cerealis, oratione ad Gallos; *Vobis maximum diſcrimen, penes quos aurum & opes præcipuæ bellorum cauſſæ.* Ergo non munimentum reip. aurum, ſed hoſtium & periculorum irritamentum. Libro de Moribus Germ. *Argentum & aurum propitii an irati dii negaverint, dubito.* Ac multa de veterum Germanorum paupertate, contemptu divitiarum, duritie vitæ locutus, egregium hoc epiphonema addit: *Plus tibi boni mores valent, quàm alibi bonæ leges.*

In vita Agricolæ: *Provincia dives, ac parata peccantibus.* Ergo divitiæ & abundantia maximæ ac peccandum illecebræ. *Matrem Agricolæ in prædiis ſuis interfecit, prædiaque ipſa, & magnam patrimonii partem diripuit, quæ cauſſa cædis fuerat.* Arrigite aures divitiarum cultores: nec novum iſtud fuit: nec in eo exemptum ſubſtitit.

Fert

Fert Britannia aurum & argentum, & alia metalla, pretium victoriæ. Et hæc Romanum bellum, & ex eo ſervitutem, & tantam ſanguinis effuſionem attraxerunt.

Ac ne quis trucidari tantum miſeros putet, Britannos loquentes introducit; *plus impetus, majorem conſtantiam penes miſeros eſſe:* Et Galgacum Ducem Caledoniæ: *auri fulgor atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat.*

De ipſo Agricola Tacitus: *Vera bona, quæ in virtutibus ſita ſunt, impleverat,* &c. *Opibus nimiis non gaudebat.* Ac paulò inferius: *Quicquid ex Agricolâ amavimus, quicquid mirati ſumus, manet, manſurumque eſt in animis hominum, in æternitate temporum, famâ rerum.* Opes non manſuræ ſunt in animis hominum, æternitate temporum, fama rerum. Ergo nequaquam amarunt vel mirati ſunt eas in Agricola.

Feracem ſententiarum ſegetem videtis: & necdum excuſſi Annalium libros: & in cæteris non niſi oblata arripui. Unum ex Annalibus locum adjiciam: deinde Macchiavelli ſententiam audiemus. Annal. 3. *Quanto pecunia dites, & voluptatibus opulentos, tantò magis imbelles Æduos evincite.* Gallorum

ditiſſimi erant Ædui. Hi quo nomine ſibi principatum in bello poſcebant, eo ab hoſte maximè contemnebantur, Macchiavellus, lib. 2. cap. 10. Diſcurſuum: *Idanari anchora non ſolo non ti difendono, ma ti fanno predare più toſto*, i. e. *Tantum abeſt, ut pecunia te tueatur, ut etiam prædæ te exponat*. Dein paucis interjectis: *Quintius Curtius aſſeverat, pecuniam eſſe nervum belli. Quæ ſententia quotidie allegata, à Principibus non ſatìs prudentibus receptatur. Siquidem eâ freti, putant ſatìs eſſe ad ſui defenſionem habere amplum theſaurum; nec reputant, quòd, ſi theſaurus ad victoriam ſufficeret, Darius Alexandrum viciſſet, Græci Romanos, & noſtra memoriâ Dux Carolus Helvetios*, &c. Nec multum infra: *omnes iſti ab illis victi ſunt, qui non pecuniam, ſed bonos milites putarunt eſſe nervum belli*. Uno deinde & altero exemplo ad probationem adducto, pergit: *Dico igitur non aurum (ut communis opinio clamat) eſſe nervum belli, ſed bonos milites: ſiquidem aurum non eſt ſufficiens ad inveniendum bonos milites, ſed boni milites ſunt ſufficientes ad inveniendum aurum*. Sub finem capitis Livium opinionis hujus fautorem adducit, inquiens: *Sed Titus Livius hujus opionionis veriſſimum teſtimonium præbet, ubi diſceptant, an Alexander Magnus, ſi in Italiam veniſſet, Romanos viciſſet;*

viciſſet; *demonſtrat tria eſſe ad bellum neceſſaria: quantum ſatis eſt bonorum militum, prudentes belli duces, & bonam fortunam. Vbi examinans, in quibus vel Romani, vel Alexander ſuperiores fuerint, tandem concludit, nullâ pecuniæ facta mentione.*

Hæc & alia toto hoc capite Machiavellus. Nec alibi locorum à ſententia reſiliit. Capite 19. ejuſdem libri, ſententiæ noſtræ ſuffragatur, de publico ærario potius ditando, quam privatorum arcis replendis.

Tenere ricco il publico, povero il privato, mantenere conſommo ſtudio gli eſſerciti militari, ſono le vie à fare grande una Republica, & acquiſtare Imperio. Libro tertio, cap. 25. eidem opinioni inſiſtit, & quodammodo ſeipſum judicio ſuperat. *La più util coſa, che ſi ordini ni un viver libero, è che ſi mantenghino cittadini poveri.* Non longè à fine capitis hæc verba profert, latino ſermone ita reddita: *Permanſit hæc paupertas ad tempora uſque Pauli Æmilii, quæ ultima propè tempora felicia fuerunt ejus Reipub. quo civis aliquis, qui ſuo triumpho Romam locupletavit, nihilominus pauper permanſit.* Tandem caput hoc concludit hoc modo: *Multis verbis demonſtrari poſſet, quantò meliores fructus paupertas producat quàm divitiæ; & quemadmodum illa civitates, provincias, ſectas honore*

affecerit; hæ illas præcipites dederint; niſi hæc materia ſæpè ab aliis celebrata fuiſſet.

Hunc præter morem meum locorum acervum congeſſi, ne quis receptæ opinioni nimis fautor, novi me alicujus dogmatis auctorem; aut in re civili in aliud diſciplinæ genus tranſſilire putet. Lectorem nihilominus admonitum volo, ſtatûs quæſtionis meminerit: nimirum non improbari à me mediocres fiſci reditus, nec ſingulos civium ad mendicitatem velle redigi: ſed nimiam divitiarum æſtimationem demi, & præpoſterum earum ſtudium minui, quo ſuus virtuti & eruditioni locus ſalvus maneat, exoptare. Nimis enim tempora noſtra ſimilia ſunt iis, de quibus poëta queritur:

Aurea nunc verè ſunt ſecula: plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.

Et eodem planè ſenſu: (niſi quod ſuperiori verſu amorem amicæ, à nobis honeſtius capi nihil vetat.)

In pretio pretium nunc eſt: dat cenſus honores,
Cenſus amicitias: pauper ubique jacet.

Huic

Huic affine malum eſt *ambitus*, Romanorum legibus crebrò coërcitum, nunquam repreſſum.

Quo non modò legum ac juris vis eludebatur: verùm etiam indigni, aurâ fautorum ſecundâ ſublati, ad honores evehebantur. Nec id errore quodam judicii, (decipi enim etiam viri optimi poſſunt) ſed ut vel precibus & adulationi petentis id detur; vel cognationi aut ſpei demerendi tribuatur; vel, quod eſt turpiſſimum, largitione corruptis judicibus redimatur. Quod poſtremum δεκασμὸν Græci poſteriores vocant, vocabulo non multum à δωροδοκίᾳ Atticorum, origine & ſignificatu recedente. Quod virus noſtrum etiam aquilonem invaſiſſe, expulſâ veterum ſin[illegible]icitate, graves multorum audiuntur querelæ. Nec id in reip. ſolum adminiſtratione, & ampliſſimorum honorum petitione: ſed uſque ad aras & pulpita demiſſum, non meâ, ſed populi voce quiritor. Antiquus ille nimium, & κρονικῶν ληρημάτων ἀνάπλεως, qui ſcripſit:

Virtute ambire oportet, non favitoribus:
Sat habet fautorum ſemper, rectè qui facit.

Belgæ id genus prenſandi **Cuppen** vocant, ridiculâ, ſed rei per ambages exprimendæ appoſitâ voce.

Quemadmodum enim multæ teſſerculæ collectæ in unum doliuin revinciuntur: ita disjecta multorum ſuffragia favore collecta, in unum decretum exeunt.

Res labefactando ſtatui cumprimis faciens, & hoſtibus potius, quam nobis, imprecanda. Fit enim, ut in manus non optimi cujuſque publica ſalus tradita, conſilii ac fidei ad extremum inopia laboret. Præterea ingenia heroïca, & meliorem quàm qua verſantur fortunam merita, tædio præſentium, aut ad unius regimen & permutationem rerum ſpectant; aut ſi fuerint inquietiora, novis rebus animum per ſe applicant. Ut taceam, etiamſi nullum inde periculum ſit metuendum, injuſtum tamen eſſe, cum non dignis digna tribuuntur. Ac fieri poteſt, ut plebecula, quæ, auctore Tullio, *non delectu aut ſapientiâ ducitur ad judicandum, ſed impetu & quadam etiam temeritate*; & quæ, eodem teſte, *ex opinione multa, ex veritate pauca judicat*, judicio falſa, aut loquacitate futilis, de præſidum ſuorum decretis, & aliorum,

rum, quibus quanquam digniſſimis invideat, incrementis, temerè & ſiniſtrè loquatur. Neſcio enim quo *pravo ſtudio, quo etiam in certaminibus ludieris utitur, deteriori atque infirmiori favet*: Liv. lib. 42. Eundem voti compotem caſu quodam factum indignabunda admiratur, *cum ſe mobilis favor circumegit*; ut loquitur Seneca.

Ut ut ſit, eum qui inſinuare ſe plurium gratiæ noverit, aut cognatione potentiores attigerit, ignotis in attributione munerum præferri, nec inauditum eſt, & æquitatis quadam ratione niti creditur.

Quin-imo conſuetudo colligendi prenſando ſuffragia, toga candida, & id genus alia, moribus Romanorum recepta, lubrico ab ambitu gradu aberant.

Ex publico magis uſu foret, ſublatâ omni ambiendi neceſſitate, dignitatis officia non petentibus offerri, nonnunquam & recuſantibus obtrudi: aut, ſi res ea voti magis eſt quam ſpei, certè operam dare, ne generoſiores accepta repulſâ præſentium tædere ceperit. Quid ergo? in principatu ambitus locum aut periculum non habet? habet: ſed minus frequenter;

& ſuos amicos princeps,utpote unus, facilius juverit, quam in rep. multi multos.

Nec adulatores & accuſatores omnium principum gratiam merentur: nec omnia tamen à principe obnoxio obtinent. Tiberius ipſe,Tacito referente, lib.4. Annalium, *in adulationem lapſos patres cohibebat, mandabatque honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, inluſtres domi artes ſpectando: ut ſatis conſtaret, non alios potiores fuiſſe.* Apud eundem *leges, ſi majeſtatis quæſtio eximeretur, bono in uſu.* Ibid. quarum Senatûs populique imperio invalidum auxilium erat: quia *vi, ambitu, poſtremò pecunia turbabantur: h. t.* De Nerone ipſo benè ominabantur, *daturum planè documentum, honeſtis an ſecus amicis uteretur, ſi ducem amotâ invidiâ egregium, quàm ſi pecunioſum & gratia ſubnixum per ambitum deligeret.* Lib.13. Annal. At in Oligarchia quam ſæpè Decemvirorum facta recoquuntur! qui, Livio argutè referente, *Hominum, non cauſſarum, toti erant: ut apud quos gratia vim æqui haberet.* Lib.2. A populari verò licentia multo plus periculi, ſive errore judicii, ſive libidine ſtatuendi. Nón enim capio hic acumen Macchiavelli, mul-

multitudinem ſapientiorem & conſtantiorem Principe eſſe, diſſerentis. Lib. 1. dict. cap. 58.

Quæ de nimia cenſus æſtimatione, & colligenda populi vel optimatum gratiâ, hactenus à nobis dicta ſunt; ea etſi ſeculum jam & mores appellentur, nec ferme in vitiorum catalogo inveniantur; non tamen omni cenſurâ ita libera ſunt, ut non vel poëtarum ſubjaceant rumoribus, vel liberis nonnullorum querelis. Alia verò ſunt, quæ nec Satyrarum petuntur morſibus, nec philoſophorum ſuffunduntur frigidâ, nec populi rumore ventilantur, quæ rerum civilium gnaris eò magis debebant eſſe ſuſpecta, quò minus à vulgo, verarum rationum ignaro, obſervantur. Ex eo genere vel præcipuum eſt, diuturna in uno homine militum & rerum bellicarum cura, ac nimia *imperii prorogatio.* Quod ſi Athenienſes, Piſiſtrati non peſſimi civium ſuorum conatu deterriti, cives opibus, gratiâ, ingenio cæteris prætuberantes oſtraciſmo, tranquillitatis publicæ cauſâ, ejecerunt, idque politicarum rerum conſulti defendunt, tanquam iniquitate privata publico commodo victâ: quod ſi iidem bello,

quo maximè viguerunt, Peloponneſiaco nunquam unum ſolum claſſibus & exercitui præfecerunt: quantò magis libero populo cavendum, ne unus diu cum imperio ſit, militi & ærario præſit, hæredem poteſtatis ſuæ ſucceſſorem videat, regibus aut vicinis potentioribus fœdere vel matrimonio innectatur. Carthaginienſes minus quam Attici hac in parte timidi, majori ac diuturniori potentiâ duces exercituum auxerunt: ſed eoſdem domum reverſos, ratione rerum geſtarum ſeverè exactâ, omni propemodum dignitate, aliquando & vitâ, exuerunt.

Quoad antiquis moribus res Romana ſtetit, nunquam in uno homine omnia poſuerunt: ſed curſum potius victoriæ ſtiterunt, miſſo qui exercitum & provincias exciperet, quàm ut inveteraſcere in manu cujuſdam imperium militare ſinerent.

Ac ne cenſoriam quidem poteſtatem, quanquam inermem & ſine imperio, nimis longam eſſe voluerunt, à quinquennii ſpatio ad brevius tempus à Mamerto, volentibus omnium ordinum hominibus, reductam. Poſtquam verò geminari ac multiplicari coepe-

cœperunt Conſulatus, poſtquam congeſti ſine fine in unum hominem amplissimi honores, & bella terrâ marique omnia per eundem geſta: ruere in præceps libertas, nec amplius in integritate ſubſiſtere, ab iis, quos amandos elegerat, violata. Vix tanti fuit, Iugurtham, Cimbros & Teutones per Marium debellare; Mithridatem, Sertorium, Pontum, Syriam, Pyratas per Pompejum domare; Gallias per Cæſarem ſubjugare, Germanos, rejecto Arioviſto & Uſipetibus, provocare: ut eâdem operâ reſpublica ſe ſub jugum redactam, potentiæ unius particulam acceſſiſſe, errore ſuo ſerò cognito, diſceret. Non ſum ignarus, fortius adverſus quoſvis hoſtes telum, bellicoſi viri non interruptum eſſe imperium: ſed idem præſentiſſimum libertati venenum, & ad unius dominatum firmiſſimum gradum, niſi à bonis inter bonos res perpetuò adminiſtretur, etiam atque etiam aſſevero.

Miles enim unius gubernio aſſuetus, facile eò adducitur, ut reverentiam populi & ſenatûs exuat, rejectis in ducem ſuum oculis; qui vel amore apud illos vel terrore comparato, tam

contra patriam, quam pro eâ iis utetur. Præſertim præmiis & prædâ militibus propoſitâ; & exercitûs maximâ parte ab exteris, quibus nulla patriæ dulcedo, nulla reverentia, conflatâ. Præterea apud plebem, vel ipſos etiam Optimates (eoſque omnes vel militiæ ignaros, vel ſub uno illo ſtipendia meritos) tacitam quandam Majeſtatis opinionem illi circundat perpetua illa imperii uſurpatio. Nec is qui altitudinem & animos regios induit, facile patietur ſe in ordinem redigi. Nolim odioſâ temporum noſtrorum cum antiquis comparatione licenter evagari. Quiſque veterum caſibus inſpectis, quid ſibi ſuæque reipub. ſequendum fugiendumve ſit, videbit. Si quo tamen in horto nobilis & aliquando ſalutaris ſurculus in eam arboris proceritatem excreverit, ut cacumine ſuo herbas ac frutices tegere vel obſcurare velle videatur: cum non equidem ſuaſerim excindendum, aut loco motum alio transferendum.

Periculum enim ſubeſt, ne vel radices ita egerit, ut loco moveri non poſſit; vel, ſi ſecurim admoveas, caſu ſuo vicina obruat. Aut igitur humoris

ris abundantia, materia incrementi; callidè ſubtrahenda; ac rami exuberantes paulatim decerpendi, aut ſine ullo rerum motu ſub umbra ejus foveri cætera aſſuefiant.

Remedia enim violenta morbum ferè accendunt; & pro ſalute properatâ celerem perniciem adferunt. Romani Cæſarem, quem contra ſe aluerant, dum deprimere conantur, provexere inviti, cupiditati ejus & cauſſam optatam, & eventum ſubminiſtrantes.

Locus nos admonet, ut de intempeſtivis ægrotantis reip. remediis pauca diſſeramus. Sæpè enim viri boni illi quidem, & conſtantiæ juſtitiæque laude decorandi, ſed non ſatis vel periti rerum, vel in medendo cauti, ſe & remp. in diſcrimen adducunt. Ut enim corpus longâ tabe languidum, vehementi purgatione commotis humoribus, gravius de ſalute periclitatur: ita & reſpublica vitiorum gangrænâ tota occupata, medicinâ ipſâ labefactatur. Quare vel lentâ manu hic agendum; vel, ſi ſalus deſperetur, totum negotium, dum à tempore curetur, omittendum. Id quod Tiberius erat ſuaſurus, *omittere*

potius prævalida & adulta vitia, quàm hoc adſequi, ut palàm fieret, quibus flagitiis impares eſſemus. Tac. lib. 3. Annal. *quàm indecorum* (dixerat paullò ante) *attrectare, quod non obtineretur, vel retentum, ignominiam & infamiam virorum illuſtrium poſceret.* Quod tum in aliis morbis, tum in veſtium, epularum, tectorum, familiæ, ſupellectilis luxu locum inprimis habet. De quo egregius locus, 2. Annal. Qu. Haterio conſulari, multa in luxum civitatis locuto, à ſenatu decretum, *ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent, ne veſtis ſerica viros fœdaret.* Ferri hæc utcunque poſſe, quanquam civitate ægrè medicinam admittente, credebantur. Sed *exceſſit Fronto, ac poſtulavit modum argento, ſupellectili, familiæ.* Non ferens iſtam circumſcriptionem Gallus Aſinius, quod alii ſilentio auditum improbabant, luxui apertè commodatâ voce, patrocinatur. Cui *facilem aſſenſum, ſub nominibus honeſtis, confeſſio vitiorum & ſimilitudo audientium dedit.* Tiberius, luxuriæ inimiciſſimus, & morum ſeveriorum princeps, validiora remediis vitia cernens, *non id tempus cenſuræ,* moderando inter aſſenſum & contradictionem, profatus eſt. Videbat

enim

enim difficultatem rei nimis jam diffuſæ,& curandi ordine inexplicabilis. Qua re permotus, alio loco in hæc deſperantis indicia verba prorumpit: *Quid enim primum prohibere, & priſcum ad morem recidere aggrediar? villarumne infinita ſpatia? familiarum numerum & nationes? argenti & auri pondus? æris, tabularumque miracula? promiſcuas viris & feminis veſtes? atque illa feminarum propria, quis lapidum causâ pecuniæ noſtræ ad externas aut hoſtium gentes transferuntur?* Quam adhibendæ medicinæ difficultatem exaggerat ab invidia in principem eo nomine redundaturâ.

Nec ignoro (inquit) *in conviviis & circulis incuſari iſta, & modum poſci. Sed ſi quis legem ſanciat, pœnas indicat; iidem illi civitatem verti, ſplendidiſſimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem clamitabunt.* Ac ne quis contrà exiſtimaret, edicto legum, & juſſu principis, non adhibita pœnarum atrocitate, levi ductu iſta componi poſſe, pergit: *Atqui ne corporis quidem morbos veteres, & diu auctos, niſi per dura & aſpera coërceas. corruptus ſimul & corruptor, æger & flagrans animus, haud levioribus remediis reſtinguendus eſt, quàm libidinibus ardeſcit.* Iſtud verò periculoſum & anceps. Leges

mihi

mihi & edicta narras? *tot à majoribus repertæ leges, tot quas divus Auguſtus tulit, illæ oblivione, hæ (quod flagitioſius eſt) contemtu abolitæ, ſecuriorem luxum fecêre.*

Indè progreſſus, originem tantæ maculæ, imperii prolatos terminos, & advectas peregrinas auri & argenti opes, facundè lamentatur. *Cur ergò olim parcimonia pollebat? quia ſibi quiſque moderabatur: quia unius urbis cives eramus. Ne irritamenta quidem eadem, intra Italiam dominantibus. Externis victoriis aliena; civilibus, etiam noſtra conſumere didicimus.* Quod igitur, mi Tiberi, remedium, quo ſaltem aliquando ſuccurratur, ſupereſt? A nobis ipſis & honeſtâ cujuſque indole; à tempore, & fortunæ modo; à contemptu rerum abundantium, & animorum mobilitate conceſſa faſtidientium, ſumendum. *Nos, pudor; pauperes, neceſſitas; divites, ſatietas in melius mutet.* Hinc ad deprecandam rei tam invidioſæ, & fruſtra moliendæ, neceſſitatem relabitur: collaudato tamen Patrum in re tam ſanctâ cogitandâ ſtudio. *Aut ſi quis* (inquit) *ex magiſtratibus, tantam induſtriam ac ſeveritatem pollicetur, ut ire obviam queat; hunc & laudo, & exonerari laborum meorum partem fateor. Sin accuſare*

vitia

vitia volunt, dein cum gloriam ejus rei adepti ſunt, ſimultates faciunt, ac mihi relinquunt; credite P. C. me quoque non eſſe offenſionum avidum. Quas cum graves, & plerunque iniquas pro Rep. ſuſcipiam, inanes & irritas, neque mihi aut vobis uſui futuras, jure deprecor.

Tiberio itaque periculo & moleſtiâ tanti conatûs deterrito, *remiſſa Ædilibus talis cura; luxuſque menſæ per annos centum profuſis ſumtibus exerciti, paulatim exolevere.* Lib. 3. Annal. Niſi (quod ſuſpicari fas integrumque eſt) callidus ille temporum inſidiator, correctionem luxûs ideò omiſit, quia ſervitutis urbanæ ea quaſi pignora habebat, & irritamenta. Ob quam cauſſam *populum tot annos molliter habitum, nondum auſus eſt ad duriora vertere*: ut alibi noſter innuit.

Si enim Veſpaſianus, *antiquo ipſe cultu victuque*, revocare ad priſtinam morum ſeveritatem ſuo exemplo civitatem potuit: ſi nuper feliciſſimus Galliæ rex Ludovicus XIII & exemplo ſuo & edicto, in ipſa elegantiarum magiſtra Galliâ, varios & exuberantes novitate ac impenſa veſtium modos inhibere potuit: quidni Tiberio idem conanti, ſi ſeriò nec ſimulatè

(ut

(ut illi mos) egiſſet, ſucceſſiſſet ?

Sed nimirum & hujus rei cauſa ex diverſitate temporum ſumta reddi poteſt. Longâ ſub Auguſto pace,moderatâ ſub Tiberio exactione, decenti utriuſque parcimoniâ, opes civium poſt bella civilia refectæ creverant. Hinc familiarum, ſupellectilis, vaſorum argento aut auro ſolidorum, veſtium ſericarum, tectorum magnificorum nimia ubertas.

Poſtea verò largitionibus immodicis Neronis, rapinis militum bello inteſtino Vitelliano, ærarium & loculi civium exhauſti, neceſſitatem mutandorum morum induxerunt. Eodem modo Galli nuper tributis & militaribus expeditionibus, ac ipſo luxu exhauſti, legem de ſimplicitate cultus haud inviti acceperunt. Quam cauſam mutatorum in melius morum acutiſſimus auctor non tangit: ad obſequium in principem, & æmulandi amorem omnia referens. De quo tamen ipſo, an ad mutationem inducendam ſatis fuerit,addubitans addit: *niſi forte rebus cunctis ineſt quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur*. Quam ſententiam, fallor,aut è Seneca hauſit: qui eadem,

ſed

ſed pluribus verbis, de circulo vitiorum cum tempore abeuntium redeuntiumque ſcripſerat. Quicquid ſit, difficultatem vertendorum in melius morum, vetuſtate & conſenſu auctorum, cernimus. Nec ſi Charondas, aut Lycurgus, patriam luxu perditam legibus & vita aſtrictiſſimâ mutare potuit: eundem ſibi eventum pari felicitate quivis temerè ſpondeat. Lycurgo enim cum unius civitatis haud ita magnæ populo, nec divitiis vitiorum alimentis aucto, res erat. Præterea apud credulam antiquorum ſimplicitatem, Deum aliquem legum ſuarum auctorem ementitus, auctoritatem eis & venerationem comparavit. Et tamen ne ſic quidem odium & impetum civium effugiebat, quin fuſte percuſſus, oculo privaretur. Optima corrigendi ratio mihi videtur, ab ipſis qui rerum ſummæ præſunt, initio frugaliter vivendi facto, non modò ad exemplum & æmulationem reliquos incendere; ſed etiam in eos, qui ſponte luxum deponunt, & antiquo ex more vivunt, honorum & alia præmia decerni: paulatim deinde, ſeparatione bonorum à malis factâ, vitio apud viliores remanente, igno-

ignominiæ primum, mox mulctæ pecuniariæ damno ſtatuto, cum tempore id & ratione opprimere.

Longum eſſet, de omnium reip. morborum remediis temperanter & tempeſtivè adhibendis diſſerere. Prudens lector ea quæ hic generatim de rigore temperando, & ſpeciatim de luxu moderando diximus, reliquis pro tempore & loco applicabit. Nos levi brachio ſumma genera, ut unumquodque eorum inciderit, perſtringemus.

Unum in repub. nimium creſcere, periculoſum libertati eſſe, antea oſtendimus. Creſcentem apertâ vi detrudere velle, celeritatem ac gravitatem ſervitutis ferè adducit. Religionem in uno populo unam eſſe quin optimum ſit, nemo ſapiens inficias ibit. Diverſas autem religionum ſectas nimium auctas, violentiâ diſcindere velle, & eam quam premere vis educit, & tranquillitati publicæ minimè conducit. Plebem laſcivire, & Senatûs Conſulumque mandatis recalcitrare; ægræ eſt reip. indicium. Imprudenter tamen aſperum Appii ingenium, rejectâ Servilii lenitate, in medicinam advocatur.

Lar-

Largitionem militarem, & orationis Imperatorum ad milites lenocinium, apud veteres peſſimi exempli fuiſſe, nemo antiquitatis gnarus negabit.

Quo antiquorum gradu cum Galba incederet, ſe & remp. in caſum dedit, animis militum à ſe alienatis, *Conſtat potuiſſe conciliari animos quantulacunque parci ſenis liberalitate. Nocuit antiquus rigor & nimia ſeveritas, cui jam pares non ſumus.* Tacit. lib. 1. Hiſtor. Inter corruptos, & veteris diſciplinæ oblitos, nec ſuo nec publico commodo has voces jactabat, *legi à ſe militem, non emi, nec enim ad hanc formam cætera erant.*

Multa Cato ad normam rigidæ ſapientiæ in fæce Romuli; quaſi in republica Platonis aut Utopiâ Mori, locutus, dum obliquo ſinu captandi venti neſcius, rectum in omnibus curſum tenere ſtuduit; nec portum petitum tenuit, & navis fatiſcentis citius obruendæ auctor fuit. Qua de re Ciceronem epiſtolis ad familiarem ſuum Atticum paſſim conquerentem videas.

Cauſſas tranformatæ Reip. Romanæ remotiores, præeunte veteris hiſtoriæ face, vidimus: vicinas proximéque

méque poſitas, ex ipſo verborum Taciti contextu erutas, contemplemur.

„ Poſtquam Bruto & Caſſio cæſis, „ nulla jam publicâ arma; Pompejus „ apud Siciliam oppreſſus, exutóque „ Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus, niſi Cæſar „ dux reliquus: poſito Triumviri no- „ mine. Conſulem ſe ferens, & ad „ tuendam plebem Tribunitio jure „ contentum; ubi militem donis, po- „ pulum annonâ, cunctos dulcedine „ otii pellexit; inſurgere paulatim, „ munia Senatus, magiſtratuum, le- „ gum in ſe trahere, nullo adverſante: „ cum ferociſſimè per acies, aut pro- „ ſcriptione cecidiſſent; cæteri nobi- „ lium, quanto quis ſervitio prom- „ tior, opibus & honoribus extolle- „ rentur; ac novis ex rebus aucti, tuta „ & præſentia, quàm vetera & peri- „ culoſa mallent. Neque provinciæ „ illum rerum ſtatum abnuebant, ſu- „ ſpecto Senatûs populique imperio „ ob certamina potentium, & avari- „ tiam magiſtratuum: invalido legum „ auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremò „ pecuniâ turbabantur.

Iulio Cæſare Dictatore perpetuo, ubi brevem tot laborum fructum ce-

perat,

perat, quo loco & à quibus minimè timebat jugulato, reſpublica domino liberata erat, non dominatione. M. Lepidus, qui ab exercitu maximè valebat; M. Antonius, conſulatu & veteranorum affluxu ferociens; Dolobella iiſdem nominibus inflatus, cædem interfecti Iulii ultum eundo, ſibi quiſque dominatum quærebat. Ac hos quidem ſuus furor præcipites egit, illum ſocordia exarmavit. Octavius verò, qui poſtea ab auguſta veneratione Auguſtus, Patrum conſenſu, dictus, Iulii ex ſorore Iuliâ nepos & per teſtamentum hæres, omnes difficultates perrumpendo, voti ſolus compos factus, & percuſſores paternos ultus eſt, & regnum ſibi ac poſteris firmavit. Quo ut eveheretur, fraus, audacia, & fortuna concurrere.

Nam & verſipellem ſe geſſit, & periculorum appetens fuit, & fortunam ex voto traxit bellis iſtis: 1. *Mutinenſi*, quod fictâ Pompejanorum gratiâ contra Antonium ſuſcepit: quo & exercitus à rep. quem contra remp. duceret, in manus ipſi daretur, & Antonium ſe ſpernentem ad æquiores fœderis conditiones adigeret: 2. *Philippenſi*, quod detecta jam perſona

ſona unà cum Antonio contra Brutum & Caſſium geſſit. 3. *Peruſino*, contra L. Antonium & Fulviam, res novas in Italia molientes. 4. *Siculo*, contra Sex. Pompejum, qui ſe Neptuni filium nominabat. 5. *Actiaco*, contra Antonium & Cleopatram, quò ſublato æmulo ſolus rerum potiretur. Remoto itaque omni obſtaculo, excìſis aut per acies aut proſcriptione adverſariis, ſublatis imperii æmulis: à ſævitia vertit in clementiam, ab audacia in ſapientiam; autoribus maximè uſus M. Agrippâ & C. Mæcenate, viris conſilio, animo, modeſtiâ, humanitate incomparabilibus, ac per omnia ſimilibus, niſi quod ille militiæ dux melior, hic pacis artium callidior. Principatum à volentibus acceptum, cum omnes viderent ſalutis civium intereſſe, navim reip. fluctuantem ab uno gubernari, modeſtiâ, liberalitate, comitate, juſtitiâ, ſanctimoniâ & religione ſtabilivit. Non modò à Tarquinio Superbo & Cornelio Sulla diverſus; ſed ipſo etiam Patre ſuo, & quem Græcorum annales ferunt, Piſiſtrato in imperando mollior. Attamen necis paternæ memor, in novo imperio ſolâ benignitate

gnitate nitendum non eſſe ratus, ſubſidia dominationi evexit filios ac generos ſuos, iiſque exercitus in manus tradidit, vindices, ſi quid adverſi in ſe ſtrueretur, affuturos. Ac per eos bella externa, quibus tamen & ipſe aliquando interfuit, felici exitu geſſit, Dalmaticum, Pannonicum, Cantabricum; ſolum Germanicum variante fortunâ, & metu quàm præmio majori.

Poſtquam] Omnia tempore ſuo fieri, & in puncto temporis maxima rerum momenta verti, ſapientiæ conſulti obſervarunt. Sed viri cordati eſt, temporum momenta arripere, eaque ad occaſionem rei gerendæ rectè applicare. *Accidit in puncto, quod non ſperatur in anno*, juxta vulgatum illum verſiculum. Quem in contrarium ſenſum non inſulſe mutavit Ferdinandus Auſtriacus: *Perditur in puncto, quod non reparatur in anno*. Occaſio rempub. invadendi, quanta nulla antea, fuit, pleriſque Optimatum Iulianis partibus adverſorum prælio Pharſalico, Africano, Hiſpanienſi ſublatis; iis qui reliqui erant in magnam invidiam, ob cædem Iulii & turbatam pacem, apud plebem & veteranos milites ad-

 ductis.

ductis. Ideóque ſe plures huic tantæ rei accingebant, diverſo ſtudio, eâdem omnes regnandi libidine. Lepidus in primis, Antonius, & Octavius, ultionem parricidii obtendentes, quos cauſa conjunctiſſimos facere debebat, à mutua ſimultate non eximebat, utpote ficta & veræ belli cauſæ prætentui ſumta. Pericli tamen magnitudo, ſi cum omnibus adverſarum partium copiis uni confligendum eſſet, eos conjunxit: quo ſublato, qui fallaci & invicem ſuſpectâ ſocietate coïerant, ad ſuum rurſus ingenium, & diverſas in partes abierunt. Occaſionem igitur rei gerendæ plures & viderunt, & arreptum eam magno ſtudio properaverunt. Sed non ſatis eſt, occaſionem quam prehendas oſtendi: oportet in te aliquid ſit iſta occaſione dignum, & præterea dexteritas quædam in eâ apprehendenda. Oportet, inquam, huic tam eleganti ſponſæ ſimilem formam adferas, cum attrectandi quadam ſcientiâ: alioqui facile, ut eſt faſtuoſa, te ſpreverit. Quæ ſine dubio in Octavio prævalebant, quia enim filius habebatur Cæſaris, & juſtiorem Patris quàm alter amici vindicandi cauſſam habebat; ætate præ-

præterea & moribus plebi gratioſus erat: Pompejanis ipſis ob elegantiam & florem ætatis, & ob ſimultatem cum Antonio ſuſceptam non ingratus.

Præterea cum Lepidum ſocordia, cunctatio, & fluxa in omnes fides; Antonium furor, crapula, & poſtremùm libido præcipitaret: hic acer, cautus, ſobrius, & vel in propoſito vel in ſimulatione conſtans, fortunam, quæ, etſi ſæpè temeraria eſt, plerumque tamen in attentum incidit, habuit faventem.

Poſtquam Bruto & Caſſio cæſis] Rerum quæ naturâ vel arte conſtant productio, ut à Philoſophis docemur, in ἀφέσει & θέσει, id eſt, in remotione eorum quæ obſtare videntur, & poſitione rerum ad ſtructuram neceſſariarum, conſiſtit. Eodem plane modo civilis ratio, niſi temerè eàm vagari putes, & minus quàm iſta conſilio agere; ſeſe habet.

Viri igitur prudentis fuerit, non antea ad rem conſtituendam aggredi, nec quid in animo habuerit oſtendere, quam quæ inhibere operam futuram poterant, ſublata vel ab aliis inveniat, vel, quod eſt gloriosius, per ſe procuret. Ita Auguſtus ferociſſima

ingenia & libertatis avida bellis & proſcriptione tollit : mox æmulos imperii evertit : & ita tandem novi imperii ſtructuræ manum admovet.

Bruto & Caſsio cæſis] Quod ſcriptor Hetruſcus multis docet, ad libertatem recens acquiſitam retinendam neceſſarium eſſe, ut filii Bruti jugulentur : id non ſine ratione ad regni novitatem transfertur, mactandos nimirum eſſe Brutos & libertatis aſſertores.

Quod niſi Dictator Cæſar neglexiſſet, nec præmiis eos & honoribus ornaſſet, neceſſitatem hæredi non reliquiſſet, acie eos ut plecterentur ſuperandi. Quod ſi non errore judicii commiſit,ſed certa ratione admiſit,ut qui mori ſemel, quàm civibus vitam eripere, ſuam inter metum & odium anxiè trahere voluerit : Laudamus quidem conſilium humanitatis plenum; ſed magis laudaturi, ſi eo reſpectu à regno planè abſtinuiſſet, nec ejus brevi adminiſtratione & morte ſuâ cives in horrendas calamitates injeciſſet.

Statum igitur novum introducturus,ſtatui novo adverſos & antiquitatis retinentes cave.

Nulla

Nulla jam publica arma] Publica arma vocat, Senatus decreto ſumta, ſtipendiis publicis nutrita. Quæ cum Bruto & Caſſio exſpirarunt, & unà cum illis vetus reſpublica. Sextus enim Pompejus non jam publicis armis Triumviros oppugnabat, ſed pyratica exercendâ & ipſis & Urbi totique Italiæ moleſtus erat: confluenti licet ingenti ad eum hominum multitudine, & multis ex Optimatibus favore & pecuniâ clam adjuvantibus.

Pompejus apud Siciliam oppreſſus] Oppreſſus, ait, non ſuperatus: ut de prædone, & qui jus armorum nullum habuerit. Unde & contemtim eum Triumviri impugnarunt, ut hoſtem juſto bello indignum, & contra fidem datam, quæ latroni, ut ICtis placet, (aliter Grotius de Iure Pacis & Belli) non ſit ſervanda, armis acrius reſumtis, & potentiâ illum & vitâ exuerunt. Quo tamen ex contemtu vires ejus auctæ & reparatæ ſæpe ſunt; & non ſervatæ fidei invidia in auctores recidit.

Vim verbi *oppreſſus* Lipſius hic non intellexit. Quare exſultat quaſi occaſionem nactus annotandi conſenſum ſcriptorum de jugulato eo in Aſiâ.

Iugulatum in Aſia eſſe nec Cornelius ignoravit: & parum refert, quibus è latebris retractus vitam finierit, qui jam oppreſſus erat ita ut ſe recolligere non poſſet, nec metuendus jam ulli, ſed omnes metuens, obſcura loca & ignota quæreret.

Docere virum judicio ſæpiſſimè bonum poterat Florus, de eodem, quod illum non latuit, ita loquens: *In Siculo freto juvenis oppreſſus eſt.*

Exutoque Lepido, interfecto Antonio] Nec amor conjugalis rivalem, nec imperium parem admittit.

Nec regna ſocium ferre, nec tædæ queunt. Sen. Trag. quod ſi igitur libertatis nimium memores regnanti non feruntur; multò minus qui aut regni participes eſſe apertè deſiderant, aut ſoli regnare affectant. Non enim hic locum habet illud Salluſtii: *Eadem velle, atque eadem nolle, ea demum firma amicitia eſt:* niſi benignè interpretere. Quare Octavius alium poſt alium aggreditur: alterum exercitu & omni exiſtimatione, alterum vitâ ſpoliat. quanquam enim ſua manu mortem invenit Antonius; quia tamen inſtante Cæſare id factum, rectè ejus interitus auctor habebatur. Si quæras, cur

cur Lepido non, ut Antonio, vitam ademerit: plures adferri ejus rei cauſæ poſſunt. Primò, in Lepido nihil quod metueres erat, niſi vetus ei obediendi miles; quem illi extorqueri ſatis erat: Antonii verò animus ferox, victus terribilior ſæpè reſurgebat; quare animus illi & vita aufferenda. Deinde, Lepidum ante aggreſſus ut imbecilliorem, nihil crudele in illum ſtatuebat, ne Antonio metum, & ex eo vigilantiam adderet. Poſtremò, Lepidus non niſi altercando, & primatum quaſi jure ſibi poſtulando, Cæſarem provocavit: Antonius hoſtili animo & manu contra eum venit, perniciem Cæſari Italiæ ſervitutem minatus.

Et hæc de removendis obſtaculis, popularem ſtatum immutaturo. In regno verò jam inveterato, etſi non ſucceſſionis jure obſervato, ſuſpecti tamen eſſe ſolent regum, qui ante nos fuerunt, liberi vel proximi cognati. Sanè Tarquinium Priſcum ab Anci Martii liberis, Servium Tullium à Tarquinii Priſci ſobole extinctum Hiſtoria teſtatur. In regno, quod merâ ſucceſſione nititur, multò magis id locum habet. Inde in Iſraëlitico

regno tot ac tam horrendas cædes obſervamus.

Qui enim ſupremæ ſpei admovebatur, is totam regnatricis domûs familiam funditus evertebat. Turcarum circa inaugurationem immanitatem in ſuos, quaſi tradito jam jure, ſævientium cum horrore audimus.

Nec hic figit gradum, ſed ulterius progreditur humana, vel inhumana potius, ſuſpicio. Etiam ii qui quoquo modo diadema ſperare, vel ſpiritus altos gerentes, turbare ſecuritatem videntur, cædi deſtinantur. Ita Tiberio inviſus fuit Gallus, *tanquam ducta in matrimonium Vipſania M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii uxor fuerat, pluſquam civilia agitaret.* Idem Tiberius Arruntium *divitem promtum artibus egregiis, & pari famâ publicè, ſuſpectabat.* Annal. 1. Qui, ut noſter paullò infra; *variis mox criminibus ſtruente Tiberio circumventi ſunt.* Libo Druſus inter iſtos referatur, qui majeſtatis accerſitus, & ad necem adactus eſt, quod Mathematicos conſultaverit, *habiturúſne foret opes, quis viam Appiam Brundiſium uſque operiret:* & ſimilia ſtolidam mentis vanitatem arguentia, & vel miſeratione vel irriſu, quàm ſupplicio, digniora. Tac. 2. Annal.

Annal. Hac via obtrectatores Neroni Senecam traducunt, *tanquam ingentes & privatum modum evectas opes adhuc augeret, quodque ſtudia civium in ſe verteret, hortorum quoque amœnitate & villarum magnificentiâ quaſi Principem ſupergrederetur.* Lib. 14. Annal.

Ne Iulianis quidem partibus, niſi Cæſar dux reliquus] Hactenus & rudera reip. removit, & eâdem fundamentum jecit imperii, potentiâ quâ increvit, gloria belli quam acquiſivit, terrore in obſtantes quo invaluit.

Iam quibus artibus, quibuſve mediis, molem regni exſtruxerit, porrò videamus.

Poſito Triumviri nomine] Qui adoleſcens exercitum comparaverat; qui conſulatum invito ſenatui, admotis ad urbem legionibus, extorſerat; qui Triumvirali proſcriptione vaſtitatem urbis, diviſione agrorum pellendis incolis ſolitudinem Italiæ fecerat; qui Peruſinos crudeli exemplo parentationi Iulianæ mactaverat; multaque alia ſuperbè ſtatuerat: is omni poteſtate ad ſe unum devolutâ, memoriam veteris ſævitiæ comitatis novæ condimentis obliterare nititur. Modeſtiâ titulorum, liberalitate munerum,

 æqua-

æqualitate juris, imperium à volentibus delatum mereri mavult, quàm reluctantibus per vim eripere. Cives, municipales, provinciales, quietem tot per annos deſideratam, quaſi de cœlo delapſam, cupidè excipiunt. Pax redit agris, negotium urbi, jus foro, ſecuritas domibus. In mutuos amplexus amici, diverſis factionibus paulò antè diſtracti, ruunt.

Dies ipſe nitidius ire videtur; & amabilior mœnibus ac pomœrio redit facies. Hunc quaſi Solem è nimbis prodeuntem, quaſi ſalutis unicum auctorem intuentur: huic ſe, urbem, provincias committunt, non alia quam illius fauſtitate ac ſapientiâ regendos. Præteritorum recordationem laborum, præſentis jucunditatis aſpectu compenſatam inducunt. Hinc erudimur, principatum novum, ſi non per omnia æquali clementiæ paſſu progredi poſſit, utilius à terrore inchoari, deſinere in humanitatem: quàm ſi oſtenſa prius comitate ſævitiam poſtmodum expedias. Proxima enim quæque memoria maximè circumferuntur: & priora facta neceſſitati aut ſimulationi, poſteriora veræ indoli adſcribuntur. Tum qui à ſæ-

vitia ad comitatem flectit, is periti medici more videtur noxia membrorum reſecuiſſe, ne totum corpus contagione tractum, de ſalute periclitaretur: aut aſperi Patris ritu ſeverè liberos habuiſſe, ut ad frugem redactis indulgere diutius poſſet. Qui verò à blanditiis prorumpit ad crudelitatem, is crocodili fletum aut Sirenum cantum in perniciem hominum, ferinæ ipſe naturæ, didiciſſe creditur. Præterea in illo animum generoſum ac erectum ſuſpicimus; in hoc ſubdolum & meticuloſum deſpicimus: quòd illi poteſtatem & fiduciam non defuiſſe; huic diffidentiam virium adfuiſſe arbitramur. Inde in eum ortus ex timore amor, unde utiliſſima regno ſoboles reverentia procreatur; in hunc conjunctus odio contemtus, rebellionis nativi parentes, animis hominum infiguntur. Auguſtus itaque ab hoc die ita egit, ut vivus ſolatio, defunctus deſiderio eſſet: Nero, qui à carceribus clementiæ per ſtadia nequitiæ ad metam crudelitatis progreſſus, Patrum decreto condemnatus interiit; ante obitum horrori, poſt fata exſecrationi eſt.

Poſito Triumviri nomine] Ut odioſo

civibus, & Monarchiæ, cui excludendæ incubabat, minus convenienti. Hinc diſce, πολιτικὸν eſſe, pro temporum ac rerum varietate aliam atque aliam induere perſonam, & vultum ex fortunâ mutuari. Socraticum eſt, & ab aula, imò foro, abſtinentium, eodem ſemper modo, eodem in omni negotio ac fortuna vultu agere. Non hoc dico, expulſâ animi conſtantia à quovis vento circumferri, laudi dari: ſed momentis temporum accommodare conſilia ſua, non vituperari. Hoc vel Senecæ placuit: ſapientem ire ſemper unâ viâ, non uno gradu.

Scriptor ab Hetruria, qui ingenii ſui vi ſæpè in perverſi judicii ſcopulum abripitur, negat Principem varietati temporum ſe applicare poſſe, id quod reſpub. facile poſſit: quod unus homo ſemper ſibi æqualis nunquam mutetur. Ex quo educit hoc poriſma, remp. diutius & vigere & vivere, quàm Monarchiam. Lib. 3. Diſcurſ. Cap. 9. Quæ res ab omni ſeculorum memoria, & à ratione ipſa refutatur.

Conſulem ſe ferens] Ne vel nullo tituli inſigni velatus pro privato haberetur,

retur, atque ita contumeliæ obnoxius eſſet; vel inuſitatis & communem morem excedentibus nominibus odium civium incurreret: veteribus honorum vocabulis & cum libertate ipſa natis contentus, regiam in iis potentiam ſtabilivit. Nam cum ſummus communiter magiſtratus fuerit Conſulatus, & ex altera parte Tribuni plebis, ut imperii inſignibus Conſuli cederent, ita potentia cum eo certarent: qui duo hæc conjuncta uſurpaverit, is proculdubio cæteros omnes facilè obſcuraverit. Auguſtus itaque modeſtiæ pallio flagrantiſſimam regnandi cupiditatem texit, & quam petebat vim imperii firmavit. Conſulis enim nomine Senatum convocabat, exercitus conficiebat, iiſque præerat, bella ac arma tractabat, pacem ac fœdera ſanciebat, faſces & ſecures expediri jubebat. Tribunicio jure plebem defendebat, magiſtratuum conatibus intercedebat, quodque maximum, inviolabilis ac ſacroſanctus habebatur. Quantum verò tribuniciæ poteſtati tribuerit, inde colligere eſt, quod eam nunquam depoſuit, cum Conſulatu ſæpe aliis cederet. Dicat quis, Dictaturæ nomine

hæc omnia comprehendi potuiſſe, ne ad emendicātionem nominum in uno homine ægrè coëuntium deſcenderetur.

Atqui nomen Dictatoris non niſi urgente neceſſitate ad breve dierum ſpatium ſumtum, ſi continuaretur, haud præbiturum erat ſpeciem veteris reip. cum præſertim inviſum fuerit, ob nuperam Iulii in eo ſuperbiam, & Sullæ quondam crudelitatem; ideóque cæſo Iulio memoria ejus in perpetuum abolita, Dione teſte. Qui tamen alio loco, conſentiens Paterculo, oblatam à Senatu Dictaturam Auguſtum non accepiſſe tradit.

Ad tuendam plebem] Plebis tutelâ aſſumtâ periculoſas libertati opes ſtruere, antiquæ ſunt, nec hujus ævi naſo faſtiditæ, artes.

Tribunitio jure contentum] Ius tribunorum ac poteſtatem uſurpavit, à nomine Tribuni abſtinui: gnarus honore eum magiſtratum carere, & non niſi in plebejum, aut qui à Patribus ad plebem tranſiiſſet, cadere. Quare nec exercitum ducere, nec omnino Urbe egredi, nec faſcibus ac lictoribus (niſi viatore) uti ei licebat. Vim

igitur

igitur Tribunatus ac prærogativam tenuit; nomen ac vilitatem Tribunis conceſſit.

Vbi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcidine otii pellexit] Imperii vis omnis in ſubditorum promta obedientia conſiſtit: obedientia in animi erga ſuperiorem cum quadam fiducia ſubmiſſione. Submiſſio ſpontanea ab imperandi potentiæ & erga ſuos benevolentiæ opinione naſcitur.

Malè ſceptrum perpetuo terrore ſtabilitur: quò ſolitudinem citius feceris, quàm regni munimentum paraveris. Eò potius omnis cura intendenda, ut ſalutis civium intereſſe tuam pro iis vigilantiam omnes videant, nec minus pro ſe quàm ſuprà ſe imperii thronum ſtabilitum. *Opera cumprimis danda, ut ſubditi contenti ſint ſtatu præſenti; nec Imperii ſit pertæſum. Id enim Imperium firmiſſimum eſt. Subditi namque malè contenti ſunt deſperati. Et regna malè contentis plena, ut vocant, inſtar turris ſunt argento vivo inædificatæ. Magnum ideoque eſt arcanum, ſubditos non habere male contentos: faciléque evertitur regnum, ubi ſubditi Dominum tantum, non Imperium ſunt mutaturi.* Beſoldus, diſſertatione de arcanis rerumpublicarum: ex Anto-

Antonio Perez, Guicciardino, & Trajano Boccalini. Princeps igitur occupato vel accepto reip. clavo novus, aut veram paterni animi imaginem induat, aut ſaltem externam ejus ſpeciem mentiatur. Largiendo, condonando, feſtos cum populo dies celebrando, hilaritatem animo vel fronte conceptam ad omnes transfundat. David optimus & potentiſſimus Hebræorum Rex confluentem ad ſe inaugurandum innumeram hominum multitudinem, lætitiâ publicâ exceptos, ſportulis panis, carnis, & vini dimiſit. Saül primus ejus gentis rex, maledicentiam protervorum hominum audire diſſimulavit; nec in memoriam revocatam admiſit. Nec infra majeſtatem fuerit, contractam ſeveritatis nube frontem hilariori, quale in Sole aſtrorum Rege eſt, lumine temperare: & muneribus largiendis, veniâ erratorum dandâ, divinam imitari naturam. Nemo DEUM ob id minus Deum, minuſve colendum exiſtimat, quod non in omnes mundi partes maximo omnium terrore fulmina expediat: ſed pluvias, ventos, ſudum, cætera naturæ & quæ fortunæ creduntur commoda largiendo, indul-

gentem

gentem potius Patrem, quàm ſeverum per omnia judicem præſtet.

Amore, qui in Deo & Deus ipſe eſt, (1 Ioh. 4.) mare, cœlum, terra foventur, & unitatis quodam vinculo continentur: momento temporis in deforme chaos ruitura, ſi bonitatis Deus, quod fieri nequit, oblivifceretur.

Quam Dei benignitatem æmulari, quantum homini fas eſt, ſi moderator populi meminerit: amore ſubditorum firmiſſimo regni glutine, & opinione celſioris cujuſdam & pænè divinæ naturæ circumdabitur.

Hæc non modò cives dicto audientes facit; ſed ſocios etiam in fide efficacius, quàm arma & coloniæ, continet. Livius teſtis, lib. 22. *Nullus terror, cum omnia bello arderent, fide ſocios demovit: videlicet quia juſto moderatoque regebantur imperio.* Faceſſant inſana Macchiavelli conſilia; Victarum gentium urbes præcipuas funditus evertendas (c. 5. De Principe); veterem vivendi formam ſtatutis novis immutandam (cap. 7.); Principem nullas niſi belli meditationes decere (cap. 14.); Regni & exiſtimationis cauſa aliquando ſemitam virtutis deſerendam (cap. 15.)

præ-

præſtare metui quàm amari (cap. 17.) fidem non eſſe ita ſtrictè obſervandam, ut utilitati præponatur (cap. 18.) Habendam Principi magis umbram quàm eſſentiam virtutum: pro ſuo defendendo violandam fidem, charitatem, humanitatem, religionem: cum vento & fortunâ propoſitum mutandum (ibidem): Principi aſtutè inimicitiam aliquam contrà ſe nutriendam eſſe, ut eâ oppreſſâ creſcat amplitudine (cap. 20.): omnia in novo principatu eſſe innovanda: antiquis oppidis deſtructis nova exſtruenda: incolas in alia loca, patriâ ſede excitos, eſſe transferendos: nihil inauſum intactumve relinquendum (lib. 1. diſcurſ. cap. 26.) & ſi qua alia fas divinum & humanum contaminantia famoſus ille ſcriptor evomuit.

De quo homine quid ſentiendum; ſitne impietatis & ſcelerum defenſionis accuſandus; aut quæ mens ſcribentis & ſcopus fuerit: ambigi inter doctos video. Ego in eò conſtantiam judicii multis in locis deſidero: animi etiam erga religionem minus reverentis indicia quædam deprehendo. Sed nec ſolus is in eo valetudinario decumbit: & multa in laudem virtu-

tis

tis egregiè dixit: & pleraque ab illo aſperè dicta interpretationem molliorem aut admittunt, aut ab ipſo acceperunt. Quam horrenda & à juris privati limitibus abeuntia nomine Iuris publici quàm plauſibilibus rationibus defenduntur! Quàm latè extenditur illud Caſſii apud Tacitum, lib. 14. annal. *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur!* Et illud duodecim Tabularum: *Salus populi ſuprema lèx eſto.* Item illud Plutarchi: *ὡς ἀναγκαῖον ἀδικεῖν τὰ μικρὰ, τοὺς βουλομένους τὰ μεγάλα δικαιοπραγεῖν! A juſtitiâ in parvis negotiis nonnunquam deflectas, ſi uſurpatam eam voles in magnis.* De Iure Dominationis, quod *raiſon d'Eſtat* Galli, Itali *ragion di Stato* vocant, quàm multa eruditorum ſcriptis vulgantur, Macchiavellicis oraculis non multùm ſaniora! De quibus Paruta, gentis & ſeculi ſui mores deteſtatus, conqueritur: *In queſto corrotto ſeculo con certo vano nome di ragion di Stato, ſi vanno ſpeſſo perturbando è confondendo le coſe humane è divine.* i. e. *Perverſo hoc ſeculò, vano quodam rationis politicæ nomine ſæpè res humanæ & divinæ perturbatæ confunduntur.*

Boterus lib. 1. cap. 1. Sic deſcribit: *Ragion*

Ragion di Stato è notitia di meri atti à fondare, conſervare, & ampliare un dominio coſi fatto (fermo ſopra popoli) Scientiam eſſe ait mediorum ad fundationem, conſervationem, amplificationem dominii aptorum. Atque ita eam pertractat, ut legum, virtutis, & rectæ rationis columnis eam fundare videatur. Quâ ratione librum illum à Principibus in canonem bonorum auctorum receptum, Trajanus Boccalini in Parnaſſo ſcribit. Qui definitionem longè à mente hac diverſam alibi tradit: *eſſe re una legge, utile à gli ſtati, ma in tutto contraria alla legge d'iddio, e de gli huomini*; eſſe legem dominationi commodam, ſed per omnia legi divinæ & humanæ contrariam. Idem Boccalini eorum ſententiæ accedit, qui Macchiavelli longè aliam, quàm vulgo capitur, in deſcribendo Principe fuiſſe ſcopum exiſtimant. Rejectum enim è Parnaſſo fingit, quod talpis viſum reſtituerit; & Tacitum ipſum à Principibus accuſatum, quod conſpicilla politica fabricaverit.

Sanè Diſcurſibus in Livium nimius libertatis & Status popularis fautor fuiſſe mihi ſæpè viſus eſt. Et in ipſo Principe plurima ſcribit iis, quæ paulò

lò ante minus ſana ex eo congeſſimus, adverſa. Cap. 3. Ludovicum XII. regem Galliarum exiguo temporis ſpatio Ducatum Mediolanenſem perdidiſſe: quod oppidani opinione de liberalitate ejus fruſtrati, ſuperbam novi Principis gubernationem ferre non potuerint. Cap. 7. Fortunam Franciſci Sforziæ, qui legitimis mediis Ducatum Mediolanenſem occupatum, magnâ tranquillitate poſſederit, Cæſaris Borgiæ infelicibus per mille fraudes conatibus opponit. Cap. 8. Agathoclem ob immanitatem vitæ indignum eſſe numero generoſorum Principum, ait. Cap. 9. Favorem populi Principi neceſſarium eſſe. Quem ſenſum & ſequenti cap. 10. tuetur. Cap. 12. Præcipua fundamenta conſervandorum Statuum eſſe bonas leges armis defenſas. Cap. 17. Principi clementiæ potius, quàm crudelitatis famam captandam. Principio capitis 18, laudandam eſſe in Principe fidei obſervationem, & vitam candidam, rejectâ omni aſtutiæ & doli uſurpatione. Cap. 19. Fugienda Principi omnia, qui eum odio & contemtui exponere poſſint.

Eodem capite magnis laudibus extollit

tollit Severum Imperatorem, qui virtutum omnis generis via fortunatè regnaverit. Et Maximinum vituperat, qui ob crudelitatem occiſus, imperio, quod violentia tueri volebat, excidit. Quod idem Antonio filio Severi iiſdem de cauſſis obveniſſe tradit. Cap. 21. Ante omnia Principem exhibere ſe debere amantem virtutum, & virorum omni genere artium & ſcientiarum cultorum. Cap. 23. Non præbendas eſſe aures adulatoribus: ſed viros ſapientes & integræ conſcientiæ eſſe fovendos & circumducendos: niſi ab adulatoribus in maximas difficultates præcipitari velit. Hæc & ſimilia veniam aliquam expoſcerent erratis, niſi ea quæ capite 12, contra fidem, charitatem, humanitatem, religionem blaterata, ſi ſuo è ſenſu illa dixit omnem veniæ rationem eximerent. Cætera emollitionem admiſerint. Præſertim id quod paſſim traducitur, *præſtare metui principem, quàm amari*. Si bonis metuendum potius quàm amandum ſtatuiſſet, inſectatione digniſſimus foret. A malis verò, quorum major numerus, non metui principem, nec publicæ tranquillitati expedit, nec ipſorum, qui licentiâ fruuntur, bono fit.

Ne

Ne Pater quidem ita amari velit à liberis ſuis, ut omnis metus abſit: & DEUS amorem ſui cum metu à nobis exigit.

Cætera ſcriptoris Florentini, quæ immanitatem redolent, non præcipere ſimpliciter videntur, ſed ex hypotheſi dominationem ſtruendi & ſtabiliendi. Ita enim ſeſe explicat, lib. 1. diſcurſ. cap. 26. *Sunt*, inquit, *iſti modi crudeliſſimi, & omni vitæ humanæ, nedum Chriſtianæ, adverſi. Quos unusquiſque fugere debet, & malle privatus vivere, quam rex, cum tanta hominum ruinâ. Nihilominus is, qui non vult primam illam bonam viam capere, ad defenſionem ſui neceſſe eſt, hanc malam ingrediatur.* Sed ſcriptorem nimis argutum cum perplexitate ſententiarum mittimus. Auguſtum, ad quem laboris telam reflectimus, prudenter ab uſtione ad malagma, à nimbis ad ſerenitatem vertiſſe pronunciamus. Quam ſi non animo bene faciendi produxit, ſaltem id quod voluit obtinuit, & ut hamo piſces, ita liberalitate libertatem civium cepit. Iam quouſque, & ad quos munificentia ritè extendatur, ne his qui meriti erant præteritis, indigni locupletentur, aut ærarium largitione exhau-

ſtum

ſtum rapinis repleatur; alterius res eſt loci, & ab aliis abundè ventilata.

Militem donis] Primi omnium milites devinciendi ſunt Principi, novo præſertim, & imperio precario aut violento. Hos enim qui obſtrictos habuerit, reliquas reip. partes faciliori motu ſecum traxerit. Horum vi non pauci Imperatorum Romanorum imperio admoti vel detruſi ſunt. Germanicum, niſi recuſaſſet, contra Tiberium novo principatu nimis parcum, legiones quas in manu habebat erigebant. Occiſo Chæreæ manu Cajo, Claudium è latebris protractum, milites Imperatorem ſalutârunt. Quo defuncto filium ejus Britannicum ſummæ rerum deſtinabant, ægrè admiſſo Nerone. Milites Galbam, nimio rigore & parſimoniâ diſplicentem, exitio dedére. Militum operâ Otho & Vitellius imperium deguſtarunt; Veſpaſianus tenuit. Ut taceam poſterioribus temporibus Imperatores promiſcuè à militibus creatos & occiſos. Rabies igitur illorum, munerum objectu, placanda erat: maximè tranſlatione Imperii, & crudâ adhuc libertate. Non tamen quidvis militi indulgendum; nec quovis

modo

modo favor illius captandus: ne ſolutione diſciplinæ ſecurâ, regere cum imperio non poſſis. Donorum diſtributione, ſalvâ Imperatoris auctoritate, ad obedientiam & ſilentium adſtringendi ſunt: non abjectâ blanditie, & inuſitatis commilitonum & victorum gentium & patronorum nominibus diſſolvendi.

Id quod Auguſtus eximiè ſervavit, & in avunculo ſuo arguit, quod *milites commilitones novo blandoque more appellans, dum affectat charior fieri, auctoritatem Principis emolliverat:* Aurelianus in Octavio. Sed fecerat id ante eum Catilina, & poſtea Otho & alii. Ac neſcio quomodo ii qui patriæ & ſenatui bellum inferunt, facinoris conſcientiâ militibus obſtricti ſunt: ut magis ducantur quàm ducant; multaque vel inviti indulgere cogantur. *Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum ſcelus; jubere jam poterat.* Tac. lib. I. Hiſtor. *Omnia deinde arbitrio militum acta.* Idem ibidem loci. Et paulò inferiùs; *non poſſe principatum ſcelere quæſitum, ſubitâ modeſtiâ & priſcâ gravitate retineri.* Verùm Auguſtus quia juſtiores belli gerendi cauſſas habere credebatur, majori apud exercitum auctoritate valuit.

F Atque

Atque haud ſcio, an iis ipſis muneribus diſtribuendis abſtinere potuerit: id quod Veſpaſianus feciſſe videri queat. Tacit. lib. 2. Hiſtor. *Ne Veſpaſianus quidem plus civili bello obtulit, quàm alii in pace, egregiè firmus adverſus militarem largitionem, eoque exercitu meliore.* Verum non omnino nihil donavit Veſpaſianus (quod Galbæ fuerat erratum) ſed vulgarem & in pace uſitatum largiendi modum non egreſſus eſt. Et quod largitioni defuit, comitate repletum & honorum ornamentis. Sic enim de eodem Tacitus, loco laudato: *Ipſe Veſpaſianus adire, hortari bonos laude, ſegnes exemplo incitare ſæpius quàm coërcere; vitia magis amicorum quàm virtutes diſſimulans. Multos præfecturis & procurationibus; pleroſque ſenatorii ordinis honore percoluit.* Militibus itaque obnoxii erant Principes, maximè Prætorianis, quorum in manu ſalus illorum inprimis erat: ut noſtrâ ætate regum Turcicorum vita à filo Ianizarorum fidei pendet. Quod non ignoravit Sejanus cohortibus prætoriis præfectus: à quo parum abfuit, quin faſcibus Teberius privaretur. Hic *vim præfecturæ modicam antea intendit, diſperſas per urbem cohortes una in caſtra conducendo; ut ſimul*

imperia

imperia acciperent, numeroque & robore, & viſu inter ſe, fiducia ipſis, in cæteros metus creſceret. Tacit. lib. 4. annal. quod imprudente Tiberio factum mirum eſt, qui aliàs etiam tuta ſuſpectabat: qui fidiſſimum ſibi Germanicum ſuo ingenio metitus, *quòd largiendis pecuniis, & miſſione feſtinatâ favorem militum quæſiviſſet, bellica quoque Germanici gloria angebatur.* 1. Annal. offenſus etiam eo, quòd Agrippina *ambitioſè filium ducis gregali habitu circumferat, Cæſaremque Caligulam appellari velit.* Eodem libro. nam *ad conciliandа vulgi ſtudia eo tegmine pedum induebatur.* Nec Piſoni Germanici exſtincti accuſato quicquam validius, & aures Tiberii magis læſurum, objectum quàm *rerum novarum ſtudio, vulgus militum per licentiam & ſociorum injurias eò uſque corrupiſſe, ut parens legionum à deterrimis appellaretur.* Tac. lib. 3. annal. Immeritò & penè ridiculè Iunius Gallio, fœdâ largitione gratiam ſingularem captans, gratiâ omni excidit. *Qui cenſuerat, ut prætoriani actis ſtipendiis, jus apiſcerentur in quatuordecim ordinibus ſedendi.* Innocenti animo & ab omni fraude alieno, ſed minus libero & erecto, id cenſuerat. Ob quod violenter à ſuſpicaci principe increpitus eſt: *quid*

illi cum militibus? quos neque dicta Imperatoris, neque præmia niſi ab Imperatore accipere par eſſet. Reperiſſe prorſus quod divus Auguſtus non providerit. An potius diſcordiam & ſeditionem à ſatellite Sejani quæſitam? qua rudes animos, nomine honoris, ad corrumpendum militiæ morem propelleret. Tacit. lib. 6. annal. Cujus tragœdiæ miſeram cataſtrophen autor perſequitur. *hoc pretium Gallio meditatæ adulationis tulit, ſtatim curiâ, deinde Italia exactus. Et quia incuſabatur facilè toleraturus exſilium, dilectâ Lesbo inſulâ, nobili & amœnâ, retrahitur in urbem, cuſtoditurque domibus magiſtratuum.* Adeò periculoſæ res eſt aleæ, cum militibus; præſertim Prætorianis, quicquam habere negotii: longéque periculoſiſſimum alloqui eos, vel præmiis, largitionibus, auctis ſtipendiis demereri: quæ Principes ſuæ gratiæ eſſe volunt, nec aliunde exſpectanda. Quos vel devotos ſibi facere muneribus, vel adverſantes, aliorum largitionibus corruptos, experiri in promtu fuerit. Auguſtus igitur ante omnia hunc militarem Cerberum, oſtium dominationis tanquam Plutonis obſervantem, injecto in fauces bolo demulcendum duxit. Quem quo magis fidum aulæ ſuæ cuſtodem haberet,

beret, in poſterum quoque curam ejus non abjecit: *definitis pro gradu cujuſque, & temporibus militiæ, & commodis miſsionum: ne aut ætate aut inopiâ poſt miſsionem ſolicitari ad res novas poſſent.* Suetonius in Auguſto, cap.49. Præcipuus verò demerendi militis artifex Iulius Cæſar: qui *legionibus ſtipendium in perpetuum duplicavit. Frumentum, quoties copia eſſet, etiam ſine modo menſurâque præbuit, ac ſingula interdum mancipia & prædia viritim dedit:* teſte eodem auctore in Iulio, cap.26. *Ac nonnunquam, poſt magnam pugnam atque victoriam, remiſſo officiorum munere, licentiam omnem laſciviendi permittebat: jactare ſolitus, milites ſuos etiam unguentatos benè pugnare poſſe.* Eodem libro, cap.67. *Habebatque tam cultos, ut argento & auro politis armis ornaret:* ibidem. *Quibus rebus & devotiſsimos ſibi, & fortiſsimos reddidit.* cap.68. Quorum quantus pro duce ſuo ardor fuerit, quanta tolerantia & fortitudo in laboribus, diſce toto capite 68.

Non parciori munerum largitore Alexandro Argyraſpidæ gaviſi ſunt: nec minus fortiter pro rege ſuo dimicarunt. Auguſtus largitione militari cum modo uſus eſt: & diſciplina ſæviſſimè eos habuit. *Ne legatorum qui-*

dem cuiquam, niſi gravitate hiberniſque demum menſibus, permiſit uxorem interviſere. Tranquillus, cap.24. *Cohortes ſi quæ ceſſiſſent loco, decimatas hordeo pavit.* Vide plura, loco allegato. Ne Iulius quidem nimis in diſciplina regendâ, vel auctoritate ſua tuendâ languidus. *Non enim ceſſit unquam tumultuantibus, atque etiam obviam ſemper iit.* Vide, ſi lubet, plura, cap.69. & 70. in Iulio Suetonii.

Populum annonâ] Militum ita habenda cura, ut urbani ac umbratici (quos Paganos ICti vocant) homines non ſpernantur. Ii cum vel nobiles vel plebeji ſint: non tu plebeculam iſtam & proletariam in eâ turbam faſtidi.

Per eam enim complures aditum ad regnum ſibi paraverunt: nec pauci per eam faſtigio quo ſteterant, dejecti ſunt. Ii annonæ maximè abundantiâ, & voluptatum copiâ ſedantur.

Nec id in regni modò novitate, verùm in omni ſtatûs mutatione. Quod ejecto Tarquinio recenti libertate factitatum à Patribus, Livius teſtis eſt, lib.2. *Multa blandimenta plebi per id tempus data: annonæ inprimis habita cura; & ad frumentum comparandum miſſi alii in Volſcos, alii Cumas. Salis quoque vendendi arbitrium,*

arbitrium, quia impenſo pretio venibat in publicum, omni ſumtu ademto conceſſum privatis; portoriis quoque & tributo plebe liberatâ. Nec Auguſtus igitur hic inops conſilii aut facto ſegnis, quin & annonæ laxitate populum pacaret, & munerum diſtributione. Dion. lib. 5. Καὶ τοῖς στρατιώταις ἔδωκέ τινα· τῷ τε δήμῳ καθ' ἑκατὸν δραχμὰς, προτέρους μὲν τοῖς εἰς ἄνδρας τελοῦσιν, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς παισὶ διὰ τὸν Μάρκελλον διένειμε. Sueton. cap. 41. *Congiaria populo frequenter dedit, ſed diverſæ ferè ſummæ: modò quadragenos, modò trecenos: nonnunquam ducenos quinquagenoſque nummos. Ac ne minores quidem pueros præteriit, quamvis non niſi ab undecimo ætatis anno accipere conſueſſent. Frumentum quoque in annonæ difficultatibus ſæpè leviſſimo, interdum nullo pretio, viritim admenſus eſt, teſſeraſque nummarias duplicavit.* Multa præterea alia plebi indulgendo, per æqua & iniqua retinuit obſequentem. Exemplo Alexandri Macedonis: quem Curtius, lib. 6. ita loquentem inducit: *In novo & precario imperio, adhuc jugum ejus rigidâ cervice ſubeuntibus Barbaris, tempore opus eſt; dum mitioribus ingeniis imbuuntur, & efferatos mollior conſuetudo permulcet.*

Nec aliter tractari vult ille freni indocilis caballus: donec tempore & uſu eruditus ſeſſorem admittat.

Equus verò Neapolitanus, Caroli V. inventum; & ſtatua leonis equo proſtrati incumbentis, Tychopoli regio ad Albim munimento, ſeditioſum populum, & veteris juſtique imperii impatientem, acrioribus domandum ſtimulis, deſignant. Quanquam & iſte nonnunquam arte tractari amat: ut nullum homine animal moroſius imperio ſubeſt. Appoſitè Clapmarius, lib. 6. de Arc. rerump. *Sicut peritus eques non ſemper & uno tenore frenum ſtringit, aut calcaria ſubdit; ſed ſæpenumerò laxat, & veluti adulando palpandoque quoquoverſum ducit etiam ferociſſimum equum atque inhabilem. Sic viri prudentes in Republica plebem ſuccuſſantem & ferocientem moderatè regunt, freno injecto, ſed laxo; ne, ſi violento tractu reducant, ſeipſos Imperio excutiant.* Arte igitur & poppiſmo opus eſt ad demulcendum iſtum Bucephalum, vel centum capitum beluam: ſi unquam, certè novum auſpicantibus imperium. Sed alio quoque nomine plebi eſt indulgendum, nimirum ut contra Nobilium factiones numero & potentiâ creſcas. Ut enim multitudo ſine

capite

capite vel paucis nobilium timenda non eſt : ita ubi ductorem nanciſcitur principem virum, haud impune contemnitur. Cavendum tamen Principi, id quod cavit Auguſtus, ne ita plebi adhæreat, ut nobilitatem à cura ſua excludat; vel contra, nobilitatem foveat, neglectâ multitudine: ne loco Principis univerſorum, caput factionis habeatur. Bocerus, lib. 2. della ragion di Stato: *Guardiſi di moſtrar ſi partiale più della nobiltà, che del popolo; ò à rincontro: perche à cotal modo ci diverza di Prencipe univerſale capo di parte.*

Cunctos dulcedine otii] Quod per ſe gratum guſtatâ tantâ turbarum civilium aſperitate, ludorum & id generis voluptatum condimento edulcoravit. Qua ratione & pacis cujuſcunque conditionem juſtiſſimo bello anteferendam docuit, & populum à reip. curâ ad ſpectacula & ludicra, ſolitus & ipſe comiter intereſſe, avocavit. Tacit. lib. 1. Annal. *Indulſerat ei ludicro Auguſtus, dum Mæcenati obtemperat effuſo in amorem Bathylli. Neque ipſe abhorrebat talibus ſtudiis, & civile rebatur miſceri voluptatibus vulgi.* Tranquillus, cap. 43. *Spectaculorum & aſſiduitate & varietate, atque magnificentiâ, omnes anteceſſit.* Vide

plura ibidem, & diſce mollia frenandi populi lupata. Ergo

——— qui dabat olim
Imperium, faſces, legiones, omnia nunc ſe
Continet, atque duas tantum res anxius optat,
Panem ac Circenſes ———

Ut mordaciſſimus Satyricorum Iuvenalis argutatur.

Hac eâdem arte victas à ſe gentes à ſtudio armorum retractas, in obſequio retinuit, more jam à majoribus accepto. Quem tangens alibi noſter aſſerere non dubitat, *plus voluptatibus quam armis Romanos adverſus exteros valuiſſe.* Sic Agricola inſtigante, feroces illi Britanni olim diſceſſerunt *ad delinimenta vitiorum, porticus & balnea, & conviviorum elegantiam. Idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars ſervitutis eſſet.* In Vita Agricolæ.

Pellexit] Quemadmodum aſtuta mulier formæ fallaciâ & voluptatum irretimentis juvenem captivum abducit: vel contrà, protervus juvenis ſimplicem adoleſcentulam donis & blandimentis, ut pudicitiæ obliviſci velit, pertrahit. Vel, ut auceps fiſtulâ modulatur, illice allectat, eſcam projectat, donec in cavea volucrem concluſam

cluſam teneat. Ita Auguſtus humanitatis formá cives, ut libertatis memoriam exuerent, dementavit. Nec Iulius Cæſar artis pelliciendi animos populi rudis fuit. Quippe *nullum largitionis aut officiorum in quenquam genus publice privatimque omiſit.* Tranquillus, cap. 26. *Reorum aut obæratorum, aut prodigæ juventutis ſubſidium unicum, ac promtiſſimum erat*; cap. 27. Conſule auctorem largius ea perſequentem.

Tiberius quanquam naturâ tenax, & morum ſeveriorum, principatumque jam vetuſtate quadam firmatum ingrederetur; tamen ſuas quaſdam pelliciendi vias noverat. Modeſtiâ honorum ſenatum, diſſimulatione petulantiæ linguarum populum, moderatione tributorum provincias devinxit; dum Germanico, quem verebatur, ſuperſtite ambiguus erat imperandi. Eo tempore natæ voces ejus, quæ hodieque oraculi vicem obtinent: *Boni paſtoris eſſe, tondere pecus, non deglubere. In civitate liberâ linguam mentemque liberas eſſe debere. Bonum & ſalutarem Principem Senatui ſervire debere, & univerſis civibus.* Alios ad alliciendum populum fortuna producit, & parentum merita, & concepta de virtute ac civilitate

eorum opinio. Quod Tiberii ſucceſſoribus evenit, Caligulæ, Claudio, Neroni; Germanici tantoperè omnium votis deſiderati Filio, Fratri, Nepoti. Qui quanquam, ſive juſta Dei ira in Romanos, limites providentiæ in expetendis rectoribus præſcribentes, mutati in deteriorem naturam, ſive latentem vitiorum ſegetem aliquandiu prementes, non reſponderunt exſpectationi flagitantis turbæ: tamen recenti ipſorum principatu non defuerunt ſibi in concilianda omnium hominum gratiâ. Caligula *criminum, ſi qua reſidua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit.* Suetonius quem vide cap. 15. 16. & proximè ſequentibus. Claudius imperio ſtabilito, *omnium factorum dictorumque veniam & oblivionem in perpetuum ſanxit.* Vide Sueton. cap. 11. & 12.

Quæ verò Neronis primis imperii annis ad miraculum uſque liberalitatis, clementiæ, ac comitatis blandimenta fuerint, doceat te Tacitus, libro XIII. Suetonius, cap. 9. 10. Seneca de clementia.

Inſurgere paulatim] Auceps cupidiùs contrahens rete, aves quas capere morâ poterat, territas abigit.

Quæ

Quæ ſolito citius pullulat herba vel arbor, levi ventorum vi dejicitur, vel à ſe ipſa, humore deſtituta, exſiccatur.

Quæ verò radice altius fixâ paulatim inſurgit, ut non creſcere eam ſed creviſſe videamus, in immenſam proceritatem duritie roboratam exit. Haud ſecus Princeps poteſtati abſolutiori imminens, etiam cum optimam rei ad votum gerendæ occaſionem nactus fuerit, non uno ictu omnia dominationis jura occupet, nec occupata ſe habere oſtentet. Quin potius lento freno ſuccuſſatorem equum, populum ferocientem, & libertatis ſimulacris deceptum regat: ut quod amiſit, habere ſe putet, nec lupatum ori injectum ſentiat. Quæ nondum uſurpavit in vicino poſita, nolit ad multa ſimul complectenda brachium extendere: ne, dum plura captat, nihil capiat; & ea ipſa quæ complexus eſt fundamenta futurorum amittat. Quædam hodie, alia olim invadat: nonnulla etiam poſteris rectius agenda relinquat. Ita cum tempore, quod omnia ad maturitatem educit, *tandem fit ſurculus arbor*. Præeuntem ſedulò obſervet formandi & conſervandi

ſtatus magiſtrum Auguſtum: de quo Dion. lib. 53. Οὐ μέντοι καὶ πάντα εὐθὺς ὥσπερ ὑπετέθειτο ἔπραξε, φοβηθεὶς μὴ καὶ σφαλῇ τι· ἀλλὰ τὰ μὲν παραχρῆμα μετεκόσμησε, τὰ δ' ὕστερον. καί τινα καὶ τοῖς μετὰ ταῦτα ἄρξουσι ποιῆσαι κατέλιπεν, ὡς καὶ κατὰ καιρὸν μᾶλλον ἐν τῷ χρόνῳ γενησόμενα.

Quin iis ipſis, quæ Patribus populoque gratificabatur, imperium ſibi firmabat. Nam quid aliud luculentâ oratione de principatu deponendo quæſivit, niſi ut, Patribus voluntati magis quàm verbis ejus velificatis, imperii jus, quod nullum habebat, Senatus conſenſu delatum ſibi & confirmatum oſtenderet? Deinde illa provinciarum diviſione, qua populo quietas & opulentas tradidit, ſibi hoſtiles & munitas reſervavit, quid aliud ſtruxit niſi ut, civibus armorum uſum dediſcentibus, exercitum ipſe in manibus haberet, belli gerendi paciſque ſanciendæ arbiter eſſet?

De quo iterum Dion. ἵνα ἐπὶ τῇ προφάσει ταύτῃ ἐκεῖνοι μὲν καὶ ἄοπλοι καὶ ἀπόλεμοι ὦσιν. αὐτὸς δὲ μόνος καὶ ὅπλα ἔχῃ, καὶ στρατιώτας τρέφῃ.

Quo etiam collineant decennalia Imperii, quibus Auguſtus, auctore

eodem

Digitized by Google

eodem Dione, populum faſcinavit, oculiſque ejus reddendi imperii glaucoma objecit.

Iam cum Auguſti lentâ feſtinatione inutilem, Iulii præcipitantiam compara. Hic medios inter Brutos & libertatis eradicandæ memores incedens, nec corpore armis munito, nec milite ad forum & curiam comitante, apertius quàm expediret, cum poteſtate etiam inſignia dominationis rapuit. *Non enim honores modò nimios recepit, ut continuum Conſulatum, perpetuam Dictaturam, præfecturamque morum, inſuper prænomen Imperatoris cognomen Patris patriæ, ſtatuam inter reges, ſuggeſtum in orcheſtrâ: ſed & ampliora etiam humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt: ſedem auream in curiâ, & pro tribunali, thenſam & ferculum Circenſi pompâ, templa, aras, ſimulacra juxta Deos, pulvinar, flaminem, Lupercos, appellationem menſis è ſuo nomine. Ac nullos non honores ad libidinem cepit, & dedit.* Sueton. Cap. 58. Auguſtus verò, *Templa quamvis ſciret etiam proconſulibus decerni ſolere; in nulla tamen provincia, niſi communi ſuo Romæque nomine, recepit: nam in urbe quidem pertinaciſſime abſtinuit hoc honore. Atque etiam argenteas ſtatuas olim ſibi poſitas conflavit omnes, exque iis aureas*

cortinas

cortinas Apollini Palatino dedicavit Dictaturam, magnâ vi offerente populo, genu nixus, abjectâ ab humeris togâ, nudo pectore deprecatus eſt. Domini appellationem ut maledictum & opprobrium ſemper exhorruit. Idem in vita Auguſti, cap. 52. Meminerat ſcilicet, iſtas honorum enormitatis nihil aliud eſſe, quàm ſerta victimæ mactationi deſtinatæ imponi ſolita. Qua ſi verò dubitandum ſit, Patres tanto ſtudio ingeſſiſſe inſignia regia Iulio Cæſari, ut, iis ab eo receptis, juſto ad populum titulo libertatis obicem removere poſſent. Quæ Cæſar quorſum evaſura erant neſcius, cupidiùs celeriuſque apprehenſa, vocibus inſuper arrogantiæ teſtibus auxit: *Nihil eſſe rempubl. appellationem modo ſine corpore ac ſpecie. Sullam neſciſſe literas, qui Dictaturam depoſuerit. Debere homines conſideratius jam loqui ſecum, ac pro legibus habere quæ dicat.* In Vita ejus, cap. 77. Auguſtus verò & Tiberius, cum vim Imperii tenerent, ſpeciem quandam Veteris reipubl. ac umbram libertatis, ſolicitè ad hoc datâ operâ, reliquerunt. Poſtremò Cæſar *præcipuam & inexpiabilem ſibi invidiam hinc maximè movit: Adeuntes ſe cum plurimis honorificentiſſimiſque decretiſque, univerſos patres* Con-

Conſcriptos, ſedens pro æde Veneris genetricis excepit. Cap. 78. Auguſtus verò, ne ad eundem lapidem inpingeret, *Die Senatus nunquam patres niſi in curia ſalutavit, & quidem ſedentes, ac nominatim ſingulos, nullo ſubmonente: & diſcedens eo modo ſedentibus ſingulis valedicebat.* Cap. 53. Tiberius ab hoc vitrici ſui inſtituto, quamvis diverſa ei morum via, non deflexit.

In appellandis venerandiſque ſingulis propè exceſſerat humanitatis modum. Sueton. cap. 29. vide & caput 26. 27. 28. 30. 31. 32. In ſuſcipiendo verò principatûs onere quam in Senatu lentus fuerit, quamque fictis Patrum precibus, qui animum ejus calluerunt exorandus eſſet, cum à Dione & Cornelio ampliſſimè deſcribatur, dicere ſuperſedeo. Qua tanta tamque apertâ Simulatione quam dextrè uſus fuerit, aliorum eſto judicium. Tiberium ſanè quaſi perfectiſſimam imperii acquirendi & conſervandi normam velle proponere, quòd tanta cura à magno auctore deſcribatur; hominum eſt in lectione auctorum non ſatis explicato judicio verſantium. Nam cum duo prudentiæ civilis cardines ſint, Diffidentia & Diſſimulatio: qui iis callidè,

callidè, moderatéque utitur, is viri pragmatici munia implêſſe creditur: qui verò modum in iis excedit, ita ut ipſa ſubtilitate pelluceant, nec doli aſtu tegantur; is & omnibus diffidendi, & Simulationem ſimulatione eludendi materiam præbet, nec ullum ſincerè amicum & vera ex animo conſulentem invenerit. Quàm verò Tiberius in utraque nimius fuerit, elegantiſſimè Dion docet; nec minus apertè Tranquillus; & Tacitus ipſe; ſi quo debebat animo legatur, ſatis clarè.

Nemini vel amicorum vel cognatorum, quamvis perſpecta eorum fides eſſet, fidebat. Nec aſſenſu nec libertate dicendi quiſquam gratiam ejus demereri poterat. Et liberè & adulatoriè dicta animum ſuſpicacis Principis fodicabant. Non introſpexiſſe mentem ejus perplexè verba ponderantis, diſcrimini erat; & intellexiſſe videri, magis periculoſum.

Cujus moroſæ ſapientiæ hoc retulit præmium, ut omnibus moleſtus, ſibi ipſi gravis, projecta imperii curâ, declinato Urbis & hominum adſpectu, turpes Capriarum latebras, ſatis indignas Principe, etiamſi infamia libidinum ibi expromtarum abeſſet, peteret. Incre-

Incredulitatem comitata Simulatio, dum nimis intenditur, apparente ficti vanitate, ludibrium debuit.

Irriſum enim ſapiunt illa Scauri verba: *Spem eſſe ex eo, non irritas fore Senatûs preces, quod relationi Conſulum jure Tribuniciæ poteſtatis non interceſſiſſet.* Tacit. lib. 1. annal. & illa nonneminis: *Cæteros quod polliciti ſint, tarde præſtare: ſed ipſum quod præſtet, tarde polliceri.* Sueton. cap. 24. Nec proderat illa ſuſcipiendi imperii ficta cunctatio: & ſi quiſquam generoſi & verè Romani ſanguinis in ſenatu adfuiſſet, illam hominis ludificationem, & falſam oneris detrectationem, non tuliſſet.

Nec defuit, qui improviſa interrogatione percelleret gannientem; *quam partem reip. mandari ſibi vellet*; & alius patientiam rumpens, qui in tumultu proclamaret, *aut agat, aut deſiſtat!* Nec immeritò, *legionum Germanicarum motu audito, trepida civitas incuſare Tiberium, quòd dum patres & plebem, invalida & inermia, contatione fictâ ludificetur, diſſideat interim miles, neque duorum adoleſcentium nondum adulta auctoritate comprimi queat*, &c. *Tiberium vigentem annis, ſedere in ſenatu, verba Patrum cavillantem. Satis proſpectum urbanæ ſervituti: militaribus animis adhibenda*

benda fomenta, ut ferre pacem velint: Tacitus infra. Elevetur ſanè hæc ejus cunctatio, & adeundorum caſtrorum negligentia: quod premere voluerit Urbem caput & ſedem Imperii; quod ſe remque publicam in caſum dare; quòd præſentiâ majeſtatem proſtituere noluerit. Atqui animos militares placare muneribus, antequam ſeditio erumperet, maturè poterat. Quæ tanta hic eſt Tiberii imperandi ſcientia, Germanico diffidentis, milites tamen nec comitate verborum nec liberalitate munerum devincientis?

Si quicquam turbidi Germanico & Blæſo adfuiſſet, ſi exuere obædientiam libuiſſet, actum erat de ſalute Tiberii, & publica tranquillitate.

Qui itaque Auguſto Tiberium præferunt (credo inde moti, quod pauca de illo Cornelius, multa & exquiſita de hoc memoriæ tradiderit: non perpendentes cauſarum diverſitatem. De Auguſta enim multa graviſſimorum ſcriptorum exſtabant: de Tiberio pauca, quæ non aut adulationis fœdæ plena eſſent, aut odii nimii) accuratiùs examinare judicii ſui lancem velim. Ego ut multa graviter, prudenterque ab eo dicta & facta agno-

agnoſco : ita novo ſtatui formando, & transferendæ libertati minus aptum futurum fuiſſe exiſtimo.

Novum ferocienti populo jugum imponere non poterat : fractum jam & jugum ferre doctum regere poterat.

Non enim is vigor animi aderat, nec morum ea gratia, nec largiendi promtitudo, nec apud exteros exiſtimatio.

Cavere inſidias poterat: & hoc uno Auguſtum æquabat, Iulium anteibat. Fingere, diſſimulare, temporis commoditatem exſpectare, ſervilem in modum, & ultrà quam Principem decet, callebat. Ut etiam ad ineptias & frigora nonnunquam prolaberetur. Cujus enim lentitudinis, quæſo, aut ſimulationis perforatæ verba fuére, quibus Qu. Haterium in curia diſſentientem perfudit : *Ignoſcas, rogo, ſi quid adverſus te liberius, ſicut Senator, dixero.* Et illa ad univerſum Senatum : *& bonos & æquos & faventes vos habui dominos, & adhuc habeo.* Suetonius in Vita Tiberii, cap. 29.

Non conveniebat cum hac ſubmiſſione reducta lex Majeſtatis, & iniquiſſimè exercita : & ſitis illa tam avida

avida ſanguinis, quanta antea meri-fuerat. Segnitiem animi crudelitate implexam Theodorus Gadareus rhetoricæ præceptor, perſpectâ ejus in pueritia indole, objurgando appellaverat πηλὸν αἵματι πεφυρμένον, lutum ſanguine miſtum. Et Auguſtus morum ejus diritatem exoſus, populique Romani miſertus, exclamaverat: *Miſerum populum Romanum, qui ſub tam lentis maxillis erit.* Suet. in Tib. cap. 21. & 57. Uterque igitur, Auguſtus & Tiberius, paulatim inſurgebat: ſed Auguſtus ad principatûs vim explicandam; Tiberius ad effundenda, quæ malè premebat, ſcelera. Sive eum, naturâ bonum, ipſius imperii licentia corruperat: ſive potius remotis quæ obſtabant, vera artificis prodiit facies. Nam *Morum tempora illi diverſa: egregium vita famaque quoad privatus, vel in imperiis ſub Auguſto fuit: occultum ac ſubdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Druſus ſuperfuere. Idem inter bona maláque mixtus, incolumi matre: inteſtabilis ſævitia, ſed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit, timuitve. Poſtremò in ſcelera ſimul ac dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore & metu, ſuo tantum ingenio utebatur.* Tacit. lib. 6. annalium.

Hac

Hac morum viâ graſſatus, quî fit, quod eorum, quos Tyrannorum nomine deteſtamur, numero vulgo non cenſeatur? quia lentè, quia ſpecie juris ſævitiam explicuit: deinde, quia ea ſucceſſerunt tempora, quæ deſiderabilem reddere Tiberium poterant. Quanto autem odio, quantæ exſecrationi vita ejus & recens defuncti memoria fuerit; partim libelli famoſi in eum certatim ſparſi declarant, partim publicum univerſi populi auditâ morte ejus gaudium, & abolendæ negato ſepulturæ honore memoriæ ejus ſtudium. Carmina aliquot, ſive epigrammata potiùs, licentiæ popularis indicia exſtant apud Tranquillum in Vita Tiberii, cap. 59. *Morte autem ejus ita lætatus eſt populus, ut ad primum nuncium diſcurrentes, pars Tiberium in Tiberim clamitarent; pars Terram matrem Deosque Manes orarent, ne mortuo ſedem ullam niſi inter impios darent; alii uncum & Gemonias cadaveri minarentur.* Ita inſurgebat Tiberius: ita verò inſurgere, labi eſt, cadere eſt, præcipitari. Quàm præſtitiſſet, privatum, integrâ rerum ſub Auguſto geſtarum laude, vitam aſtrictam cum glorioſa morte commutâſſe! Auguſtus autem verè inſurgebat:

bat: qui non modò potentiâ indies, verùm clementia & æquitate, &, qui inde oritur, amore & exiſtimatione apud omnes creſcebat. Quem non in adſcenſum ardui colles muniti, nec uno tantum & anguſto litore acceſſæ Capreæ tutabantur; ſed ſalvum in aperto clementia, & civium pro ſalute ejus vota præſtabant.

Munia Senatus, magiſtratuum, legum in ſe trahere] Ius ac vim imperii in ſe trahebat; inania nominum ac ſplendoris externi transmittebat; ea ipſa ſuo tempore involanda. Gnarus externâ rerum ſpecie vulgus hominum ſæpè magis quàm rebus ipſis moveri: quæ viris ſapientibus dimittere, dum pro umbra corpus habeant, haud ærumnoſum eſt. Exemplo Iovis apud Poëtam: à quo cùm Iuno peteret:

Ne velit Indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeat, Teucroſque vocari:
Ac vocem mutare viros, aut vertere veſtes:

Intellectâ facilitate petitionis exaudiendæ, quò cum pace Iunonis ad majorum eventus rerum perveniret:

Olli ſubridens hominum rerumque repertor,
Do quod vis, & me victuſque volenſque remitto.

Ita

Ita Auguſtus ſua Romanis Conſulum, Tribunorum, Prætorum, Patrum nomina, ac honores certis anni cujuſque diebus iniri ſolitos remittens; omnia Iura imperii, & antiqua Senatus munia vel mox ipſe cepit, vel ſucceſſoribus capienda tradidit. Quorum ſi non omnia, præcipua certè, ut quæque in manus venerint, exemplis & auctoritate ſcriptorum communita, enumerabimus.

Iam primum omnium *Legibus fuerunt ſoluti:* non quibuſdam, ut veteri Rep. nonnulli annaria; ſed omnibus in univerſum ſcriptis, aut roborata conſuetudine receptis. Dion, lib. 53. *Λέλυνται δὴ τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ λατῖνα ῥήματα λέγει τουτέστιν, ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεώς εἰσι, καὶ οὐδενὶ τῶν γεγραμμένων ἐνέχονται.*

Nec leges modò non acceperunt, ſed & novas ipſi tulerunt, & veteres quaſdam abrogârunt, vel emendarunt: ut jam pro magnifico non ſit habendum, juri dicundo ipſos præſediſſe. De Auguſto Suetonius: *Dixit autem jus non diligentiâ modò ſummâ, ſed lenitate.* Cap. 33. *Leges retractavit, & quaſdam ex integro ſanxit, ut ſumtuariam, & de adulteriis, & de pudicitia, de ambitu,*

 de

de maritandis ordinibus. Cap. 34. De Claudio: *Ius & Conſul & extrà honorem laborioſiſſimè dixit.* Cap. 14. *Nec ſemper præſcripta legum ſecutus, duritiam lenitatemve multarum, ex bono & æquo, perinde ut afficeretur, moderatus eſt.* Ibidem. Adde Ius in integrum reſtituendi, civitatis & ordinis dandi: commeatus & remeatus concedendi. De Claudio Suetonius: *Iis qui apud privatos judices plus petendo formula excidiſſent, reſtituit actiones.* Cap. 14. De eodem: *Commeatus à Senatu peti ſolitos beneficii ſui fecit.* Cap. 24. De Iulio: *Civitate donatos, & quoſdam è ſemibarbaris Gallorum recepit in curiam.* Cap. 59.

Simile factum Claudii, ſed amplius, & ad totam gentem extenſum, vide apud Tacitum, lib. 11. annal. & in Claudii Apocolocinthoſi, quæ Senecæ adſcribitur.

His licet annectamus Præfecturam morum, & luxûs coërcitionem, tam cum Cenſoria dignitate, quàm extra eam. Quam ab Auguſto uſurpatam, à Iulio ſumptam, ad ſe pertinere Tiberius obſcurâ, id eſt, ſua oratione innuit: *nec ſiquid in moribus laboret, defuturum corrigendi auctorem.* Tacit. 2. annal. Nero plenius exercuit, nullo inhibente.

bente. *Multa ſub eo & animadverſa ſeverè, & coërcita, nec minus inſtituta: adhibitus ſumtibus modus: publicæ cœnæ ad ſportulas redactæ: interdictum ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera veniret, cum antea nullum non opſonii genus proponeretur.* Tranqu. cap. 16. *Ius Comitiorum*, & magiſtratuum creandorum, indiſſolubili copulâ, Majeſtati annexum, non auſi apertè involare Primi Imperatores, variè hic fluctuârunt. Iulius Cæſar *nullos non honores ad libidinem cepit, & dedit.* In Vita Iulii, cap. 58. *Spreto patriæ more magiſtratus in plures annos ordinavit.* Cap. 59. Tiberius è campo ad Patres tranſtulit. Tacit. 1. annal. *Tum primùm è campo comitia ad patres tranſlata ſunt: Nam ad eam diem, etſi potiſſima arbitrio Principis, quædam tamen ſtudiis tribuum fiebant.* Quod nihil aliud erat, quàm ſpecie aliqua jus populo omne adimere, & tibi ceſſurorum manibus deponere. Conſulum tamen renunciationem (ſi Dioni, lib. 58. fides adhibenda) ſibi ſoli attribuit. Cujus honoris, nimirum ſummi, dandi poteſtatem retinenti, de cæterorum creatione non admodum erat laborandum. Et, ſi expendamus locum Taciti, de Prætorum creatione cum

 loqui

loqui liquebit. Quos tamen ipſos non niſi commendatione ſua interpoſitâ, legendos conceſſit. Quæ commendatio ab eo qui jubere poterat, vim habebat edicti. Quamvis initio rei moderaretur Tiberius, *ne plures quam quatuor candidatos commendaret, ſine repulſa & ambitu deſignandos.* Tac. lib. 1. annal. Caligula *tentavit comitiorum more revocato, ſuffragia populo reddere;* Suet. cap. 16. vel ignorantiâ regnandi, vel odio quod nunquam non profitebatur Senatus, vel fictâ civilitatis imagine.

Nero peculiare quid hac in re invenit. *Candidatos qui ſupra numerum eſſent, in ſolatium dilationis ac moræ legionibus præpoſuit. Conſulatum in ſenos plerunque menſes dedit.* Cap. 15. Huc per me referas Triumphorum conceſſionem, Senatûs olim munus. Quos cum Imperatores ſibi reſervaverint; eorum loco Triumphalia ornamenta tribuerunt: Primò quidem iis, qui ſuo ductu, Cæſarum auſpiciis res belli proſperè geſſiſſent: poſtea etiam pro lubitu. De Nerone Suetonius: *Triumphalia ornamenta etiam quæſtoriæ dignitatis, & nonnullis ex equeſtri ordine tribuit: nec utique de cauſſa militari.* Cap. 15.

Cum

Cum jure comitiorum proximo, ſi non pari, paſſu ambulat *Ius vitæ & necis*, poteſtaſque condemnatos abſolvendi. Quod penes Imperatores Romanos fuiſſe, vel unus Auguſtini locus, libro De Fato, teſtetur: *Imperatori ſoli licet revocare ſententiam, & reum mortis abſolvere, & ipſi ignoſcere.* Et ne quis de Auguſtini ævo tantum accipiat; en Suetonium De Caligula: *Damnatos relegatoſque reſtituit: criminumque, ſi qua reſidua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit.* Cap. 15. Si quis verò liberaliorem in reſtituendo quam trucidando fuiſſe putaverit: næ ille hujus beluæ ſanguinariæ ignorantia omnis hiſtoriæ ignarum ſe prodiderit.

Vel Claudius Caji patruus, qui cum hoc comparatus placidior ove videretur, trigintaquinque ſenatores, quaſi ſuo juſſu, occiſos, per oſcitantiam comprobavit.

Adſtipulatur ſententiæ noſtræ Tacitus 3. Hiſtor. *Vitellium ſolutum à latere pugionem, Cæcilio Simplici Conſuli in concione reddidiſſe, tanquam jus vitæ & necis.* Et quid multa? nullo ſcriptorum loco evidentibus verbis declarante, ipſa Cæſarum acta demonſtrationi ſufficiunt.

ciunt. Quorſum enim attinet, in Iulio promtitudinem ad veniam dandam, in Auguſto moderationem pœnarum laudare, ſi animadvertendi poteſtate caruerunt? Quare ſub Tiberio morti addictos, Senatoribus condemnantibus, Tiberii ſævitiæ adſcribimus, ſi libertas judicandi Patribus fuit; & non potius iſto modo crudelitatis invidiam à ſe declinare veterator ille, Senatoribus violentiæ miniſtris uſus, voluit?

Sequitur *Extrema provocatio*, Majeſtatis individua comes, & ſummi faſtigii, unde cætera dependent, nota.

Nam quod in Germania ad Cameram Spirenſem, in Gallia (quod tamen hodie vix eſt in uſu) ad octo curias majores provocatur; peculiares habet rationes, alio loco pertractandas. Hanc jure Tribuniciæ poteſtatis, ut Dion tradit, Auguſtus mox arripuit. Tiberius remiſiſſe, cum omnia per Senatum quaſi vetere rep. agere videri vellet, creditur. Verum reſervaſſe ſibi conſtat tùm ex eo loco, qui exſtat apud Tacitum, lib. 6. annal. *illos quidem Senatus, me autem tuebitur Tiberiolus meus. Neque contatius à primoribus revincebatur: iiſque inſtantibus ad Imperato-*

rem provocavit. Tum è Suetonii Caligula, cap. 16. *Magiſtratibus liberam juriſdictionem, & ſine ſui appellatione conceſſit.* Quod, niſi in uſu Principis appellatio fuiſſet, gratis à ſucceſſore tolleretur. Nec tamen ſincera fuit illa Caligulæ civilitas; quam, ut alia multa, alliciendis civibus novo ſuo principatu, firmato eo retrahenda, propoſuit.

Monetæ cudendæ, & imagine ſuâ notandæ, capaces fuere Imperatores Romani. De Iulio Suetonius, cap. 59. *Monetæ, publiciſque vectigalibus, peculiares ſervos præpoſuit.* In Firmo Vopiſcus: *Ego illum & purpurâ uſum, & percuſſa monetâ Auguſtum eſſe vocitatum* (ſc. dico) Legatos exterorum Principum audiendi & dimittendi, etiam Claudii temporibus in poteſtate Patrum fuiſſe Tacitus probare videtur, lib. 12. annal. *Per idem tempus legati Parthorum ad expetendum, ut retuli, Meherdatem miſſi, ſenatum ingrediuntur.* Sed nimirum aderat in Senatu Claudius: qui Meherdatem præceptis inſtructum recentibus Parthis tradidit. Militiæ tractationem Cæſarum arbitrii fuiſſe, cum innumera alia, tum ille Suetonii de Auguſto locus teſtatur: *In re militari & commutavit multa, & inſtituit: atque*

etiam ad antiquum morem nonnulla revocavit. Cap. 24. Nequis verò ad Imperium tantum caſtrenſe iſtud rapiat: bella autem movendi aut ſedandi copiam penes Senatum fuiſſe putet: evolvat Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores; inveniet arma inconſulto fere Senatu à Principibus mota aut condita. *Vectigalia* ac tributa Cæſarum fuiſſe, vel ſacra Euangelii hiſtoria teſtatur: Luc. 2. verſ. 1. Math. 22. verſ. 21. Luc. 23. verſ. 2. Niſi ad Iudæam & provincias Cæſari peculiares loca iſta fortè referenda ſint. Iulium per ſervos ſuos vectigalia exegiſſe, ſupra vidimus. Neroni impetum fuiſſe omnia vectigalia tollendi, Tacitus lib. 13. annalium docet. in ejus igitur poteſtate fuere.

Ne à ſacrarum quidem rerum tractatione abſtinebatur: quod olim ea cura Regum fuerit; & præſidium earum venerationem quandam, in animis præſertim plebis, tractanti concilliet. Tacit. 3. annal. *Privatis olim ſimultatibus effectum, ut à pontificibus maximis ire in provincias prohiberentur: nunc Deum munere, ſummum Pontificum etiam ſummum hominum eſſe, non æmulatione, non odio, aut privatis affectionibus obnoxium.* Et Auguſtus,

ſtus, ut de eo Tranquillus refert, *Pontificatum maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre ſuſtinuerat, mortuo demum ſuſcepit.* Cap. 31.

Quid quod ſibi ipſis honores divinos, templa, ſacerdotia, aſyla, & nomen divinum ſumpſerunt. Cujus rei tantus apud Scriptores exemplorum cumulus, ut teſtimonium quærere, otio lectoris abuti ſit. Summi rerum adminiſtratoris eſt & nova officia, novos honorum gradus inſtituere. In quo minimè negligens fuit Auguſtus. Nam, *Quo plures partem adminiſtrandæ Reip. caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividundi, præfecturam urbis, Triumviratum, legendi Senatus, & alterum recognoſcendi turmas equitum, quotieſcunque opus eſſet.* Suetonius in Auguſto, cap. 37.

Hæc, & ſi qua alia ſunt, Dominandi jura, ex temporum illorum ſcriptoribus, neglecta omnium locorum congerie; ſine faſtidio delectûs, obſervavimus.

Manſerunt tamen in cineribus inter mortuæ Reipubl. favillæ quædam veteris libertatis, quas penitus diſflare in poteſtate non erat Principum.

Sive enim leni ductu agebant; illas excitabant, & res olim diſſociabiles miſcuerunt, principatum ac libertatem: ſive violento motu; turbatas in excidium ſuum evocabant. Medio quodam modo Tiberius egiſſe, ante obitum præſertim Druſi, videtur. De cujus temporum ſtatu Tacitus lib. 4. annal. in hunc modum loquitur. *Iam primum publica negotia, & privatorum maxima, apud patres tractabantur. Dabaturque primoribus diſſerere: & in adulationem lapſos, cohibebat ipſe. Mandabatque honores,*&c. *Sua conſulibus, ſua prætoribus ſpecies. Minorum quoque magiſtratuum exercita poteſtas,* &c. *At frumenta, & pecuniæ vectigales, cætera publicorum fructuum, ſocietatibus equitum Romanorum agitabantur,* &c. *Rari per Italiam Cæſaris agri; modeſta ſervitia; intra paucos libertos domus; ac ſi quando cum privatis diſceptaret, forum & jus. Quæ cuncta non quidem comi via, ſed horridus ac plerunque formidatus retinebat, tamen, donec morte Druſi verterentur.* Tolerabat populus Romanus Rectores ſuos, & jam omiſſa cura publicâ ſuas quiſque res agebat, unius quietiori regimine lætus. Civilitatem tamen quandam & quaſi popularitatem in iis deſiderabat: regiumque non modò nomen, ſed vultum

tum quoque ac habitum execrabatur.

Hinc Galba Piſoni in ſpem principatus à ſe adoptato conſulit: *Vtiliſſimus idem ac breviſſimus bonarum malarumque rerum dilectus, cogitare quid aut nolueris ſub alio principe, aut volueris. Neque enim hîc, ut in cæteris gentibus quæ regnantur, certa dominorum domus, & cæteri ſervi: ſed imperaturus es hominibus, qui nec totam ſervitutem pati poſſunt, nec totam libertatem.* Tac. 1. Hiſtor. Tiberius, quem media quadam viâ inter abruptæ ſævitiæ tyrannos, & popularis facilitatis Principes ingreſſum dico, paulatim ad deteriora flexit: ita tamen, ut ſceleribus ſpeciem Iuris & antiqui modi prætenderet. *Proprium id Tiberio fuit, ſcelera nuper reperta priſcis verbis obtegere.* Tac. lib. 4. annal. Ergo filiam Sejani cum privilegio virginitatis occidere non poſſet, ante laqueum carnifici deflorandam tradidit. Liborus Servos, de quibus in Dominum quæſtio haberi non licitum erat, publico actori mancipari juſſit, ut proprietate eorum alienatâ, ritè fidiculæ adhiberentur. Ex altera parte Patres, ut adulatione nimii, ita occaſioni Principis in ordinem cogendi invigilare credebantur. Certatim igitur vel demereri illum ordi-

nem, ſuſpectum incremento ſuo, vel imminuere ſtudebant. Donec Conſtantinus imperii opes & ſedem in fauces Cherſoneſi Thracicæ, procul à conſpectu illorum quaſi pædagogorum, transferret, abjectâ Occidentis cura, & prædæ infundenti ſe barbariei relicto.

Remoto enim veteris libertatis cuſtode, loco, & cum loco memoria ejus abolitâ; poſitoque in vicinia Oriente, ad ſerviendum regibus nato, liberiori & ſuſpicionibus mutuis liberato imperio uſurus videbatur. Quod jam olim Cæſar Iulius in animo agitaverat, ut rumor de illo excipiebat, *migraturum Alexandriam vel Ilium, tranſlatis ſimul opibus imperii, exhauſtaque Italia delectibus, & procuratione urbis amicis permiſſa.* Sueton. cap. 79.

In ſe trahere] Quorum ut juſtam, tempore invalituram, cauſam habere videretur, Senatus auctoritatem vel emendicabat vel ementiebatur.

Nullo adverſante] Genuinam, nec ullo colore fucatam, potentiæ Cæſareæ originem hinc diſce. Quam Taciti ſincera ſcriptio, auctorum Græcorum & Romanorum grege ſepta, evidentius Triboniani vel conjecturâ vel

calli-

calliditate recluſerit. Cæſari omnia Magiſtratuum jura in ſe trahenti nemo adverſari auſus eſt: aliis metu & præteritarum ſtragum terrore pavefactis; aliis muneribus & eorum exſpectatione ineſcatis.

Nullo adverſante: cum ferociſſimi per acies, aut proſcriptione cecidiſſent; cæteri nobilium, quanto quis ſervitio promtior, opibus & honoribus extollerentur] Eſſe diſtinctos in civitate nobilium & plebejorum gradus, non modò ad orna[illegible]entum, ſed etiam tutelam reipubli[illegible], imò regni facit. Ac in regno q[illegible]dem mediis nobilibus cæteri ſub fr[illegible]o continentur: quo tutior ſit regis & ſecurior in tanta hominum multitudine vita. Sed multò magis regni incolumitati conducit mediocris procerum potentia. Qua ex cauſa regnum Galliæ & Perſiæ externâ hoſtium vi inſuperabile eſſe, Politici conjiciunt: contra verò Turcæ imperium, ſi ſemel ac iterum memorabili prælio frangatur, ſui recolligendi vires ac media non habiturum: exemplo Darii & Perſici, quale tum fuit, regni, cui iſta Turcarum dominatio perquam ſit ſimilis.

Quod ſi ad regni & regum ſalutem; multò magis ad libertatis & reip.

cuſtodiam, nervi iſti patriciorum ac nobilium conducere videntur; quorum ope oſſa & moles tanti corporis firmetur, moveatur, conſervetur.

Quod ita eſſe perſuaſus Auguſtus, nec ſtabilem nec ſecuram ſe potentiam habiturum exiſtimavit, antequam viri generoſi, qui libertatis amantiores eſſent, è medio tollerentur; cæteri, qui temporibus aptiores, in caducum parietem non inclinaturi videbantur, in ipſius partes traherentur: Ac illos quidem feroces, & mortem fortiter oppetere, quam vultum Domini aſpicere paratos, diverſæ bellorum acies, aut ſæva Triumvirorum proſcriptio ſuſtulit: hos verò beneficiis hortorum & opum conciliandos eſſe duxit: quò non modo ipſos haberet quietos, & præſenti ſtatui acquieſcentes: verùm etiam per eos reliquam civium multitudinem ſub jugo facilius teneret. Fluxu diſſertationis rapimur ad enodandam quæſtionem, *Tutiùſne libertatis cuſtodia nobilium an plebejorum manibus deponatur:* ſive, utri horum ad vindicandam, conſervandam, reſtituendam libertatem, vel aptitudine vel voluntate magis inclinent? Pro plebe non invalida militant argu-

menta.

menta. 1. Libertas in æqualitate civium conſiſtit: æqualitatem à plebe magis, quàm optimatibus amari, rationi conſentit. Qua de cauſſa ſecurè Campanis & Inſubribus imperat potentiſſimus Hiſpaniæ rex, pleniſſimis nobilium & contemptorum vulgi: qui uni omnes parere malunt, ut ſinguli multis præferantur, quàm omnibus etiam infimæ conditionis, æquato omnium jure, pares haberi. 2. Audacia viribus armata difficulter in mediocritate ſubſiſtit. Nobiles verò clientum & facultatum vi ornati, majorumque gloriâ tumidi, & inſitâ naturæ indole, ſpiritus altiores & vulgaria contemnentes gerunt. Quo fit, ut regno occupando levi motu immineant. 3. Nobilitatem libertati cuſtodem apponere, nihil aliud eſt, quàm lupo ovem, capro olus committere. Nam ſi maxima ſit æqualitas & concordia inter nobiles, ut nemo eorum regnum affectare poſſit aut velit: quo firmiori inter ſe vinculo connexi fuerint, eò graviores humeris inferiorum incumbent. Atque ita pro facili unius jugo gravi multorum ſarcinâ prementur, nec ad quem oppreſſi confugiant habebunt. Unde fiet, ut vel duriſſimo

ſer-

ſervitutis onere perpetuò ingemiſcant, vel tumultu aut ſeceſſione factâ res compoſitas pervertant; vel ad unius gubernationem confugiant. Quod ſi plebi libertas tuenda commiſſa fuerit, nihil cur præſentium tædeat, vel rebus novis animus applicetur, cauſſæ erit. 4. Exemplum Athenienſium, florentiſſimæ quondam & quaſi exemplaris rerumpublicarum. 5. Auctoritas politicorum magni nominis: ut Macchiavelli, lib. 1. cap. 55. diſcurſ. *Nobiles appellantur, qui otioſè vivunt & abundanter è reditibus agrorum ſuorum, abſque ulla vel agri colendi, vel alius generis vitæ curâ. Ejuſmodi homines damnoſi ſunt in omni republica, & omni provincia: maximè ii qui præterea artibus incumbentes ſubditos premunt. Ejuſmodi duorum generum hominum plena ſunt regnum Neapoleos, ditio Romana, Romania, & Lombardia. Vnde eſt, quod in illis terris nunquam fuerit reſpublica, aut ulla vita civilis: quoniam ejuſmodi generationes hominum per omnia civilitati adverſantur.* Hiſtoriæ Florentinæ libro ſecundo: *Rebus ſic compoſitis à turbis tandem urbi quieſcere licuiſſet, ſi nobilibus intra modeſtiæ terminos, quos vitam civilem requirere conſtat, ſeſe continere integrum fuiſſet. Verùm*

ſecus

ſecus accidit, ſiquidem tam in privatis negotiis parem non ferre; quàm in publicis imperare cupiebant, adeò ut indies nova eorum inſolentiæ atque ſuperbiæ exempla emergerent. Quod quidem populi animos abalienavit, querentium, unius tyranni exſtincti loco, mille enatos eſſe.

Hæc plebi patrocinantur argumentorum tela. Verùm quæ ab altera parte vibrantur, nec numero iis nec robore cedunt. 1. Multitudo eſt res ſoluta, nec animorum glutine nec conciliorum conſenſu compacta. Optimates ut numero pauciores, & familiarum vinculis innexi, ita minus conſilio animiſve diſperguntnr. 2. Major eſt in viris auctoritate, judicio, vitâ gravibus conſtantia; honorum & mutuæ exhortationis ſtimulis excitata. At verò *in multitudine eſt varietas, & crebra tanquam tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio*. Cic. pro Domo. 3. Ut ad cæteras reip. partes rectè gerendas, ita ad libertatem tuendam opus eſt ſilentio, opus aliquando diſſimulatione. Vulgus verò nec commiſſa tacere poteſt, nec cogitata premere; nec poſſunt non emanare, quæ in turba hominum conſultanda proponuntur. 4. Populus non rarò deſiderat

derat ruinam ſuam, falſâ aliqua boni ſpecie deceptus: ſpe largâ & lautis promiſſis facilè circumagitur. Quod Scriptor Thuſcus probat, & ſi non eo quo nos vertimus ſcopo, capite 53. lib. 1. diſcurſ. 5. Quem modò regni affectati aut alio crimine damnaverat, eundem mox miſeratione motus vitâ donat. *Vt eſt mos vulgo, mutabili ſubitis, & tam prono in miſericordiam, quàm immodicum ſævitia fuerat.* Tac. 1. Hiſt. Quo argumento Cleon apud Thucydidem probat, Democratiam non aptam eſſe regendis populis. 6. Quanquam Diſcurſuum in Livium ſcriptor, materiæ quam Hiſtoricus tractat amore abreptus, probare contendat, multitudinem ſapientiorem eſſe etiam Principibus, nedum Optimatibus: Tacitus tamen cui, non minor auctoritas, ait; *Plebi non judicium, non veritas.* Lib. 1. Hiſtor. & libro ſecundo: *Vulgus vacuum curis, & ſine falſi verique diſcrimine.* Hinc alius alium, quà propellitur, pecorum ritu antecedentium gregem ſequitur, quà itur, non quà eundum eſt: ut Seneca loquitur. Cui illud Salluſtii mirè concinit: *Multitudo vulgi more magis quàm judicio, poſt alius alium quaſi prudentiorem ſequuntur.* 7. Quietis impa-

impatientia, rerum novarum eſt appetens: & publicum ſuo damno involvi aliquando lætatur. Quod factum, Taciti annales loquuntur, lib. 3. *Optimus quiſque reip. cauſſa mœrebat: multi odio præſentium, & cupidine mutationis, ſuis quoque periculis lætabantur.* Et Hiſtoria belli civilis Vitelliani. 8. In arduo negotio quiſque ad ſua opificia aut negotiationes dilapſus, negligit rem communem. Huc referri poteſt illud Galbæ apud Tacitum, lib. 1. Hiſtor. *Privata cuique ſtimulatio, & vile decus publicum.* 9. Propemodum auſim ponere illud Livii; *Hæc eſt natura multitudinis: aut ſervit humiliter, aut ſuperbè dominatur. Libertatem, quæ media eſt, nec ſpernere modicè, nec habere ſciunt.* Et illud non diverſo ſenſu prolatum ab amicis Druſi; *Nihil in vulgo modicum: terrere ni paveant: ubi pertimuerint, impune contemni.* Tacit. lib. 1. Annal. 10. His argumentis à naturâ vulgi ductis addam pauca ex iis, quæ ἄτεχνα vocantur: exempla nimirum & auctoritatem. Exempla duûm ſunto generum. Priora à Democratia vel Ariſtocratiâ ſumta: altera à ſtatu (qui magis hîc ſpectatur) cujus partem populus, partem Senatus & Patricii habent.

Sparta

Sparta æquiſſimis populo legibus, adminiſtratione Ephororum & Optimatum, diutiſſimè libertatem tutata eſt. In Pauſaniam, qui unus tyrannidem ſeriò meditatus eſt, acerrimè animadvertit. Nec quiſquam ullo tempore tam audax fuit, ut patriæ ſtatuta pervertere in animum admitteret. Athenæ populi arbitrio gubernatæ, non minus acres libertatis vindices fuerunt. Sed & in eâ vindicandâ modum egreſſi ſunt, juſtitia in magnis viris violata; nec ſtatum ſuum, etſi Spartanis potentiâ & opibus longè ſuperiores, diu conſervârunt. Romana Reſpublica partim in populi & multitudinis, partim in Senatus & nobilium manibus erat: ab iiſque variè eminentibus variè diſtrahebatur. Ejus qui vel tuendæ vel evertendæ maximè auctores fuerint, videamus. Veteris reip. ſcriptores cum excutio, plebem nec ſumendæ, nec conſervandæ, nec referendæ libertatis vel cupidam nimis vel potentem reperio.

Bruto, Lucretio, Valerio auctoribus, magno cum conſenſu reliquæ nobilitatis, ejectis regibus, fundamenta libertatis jacta ſunt: cum plebs ut conſentiret, contactu regiæ prædæ & blandi-

blandimentis Patrum eſſet inducenda. Adverſus machinam expugnandæ libertatis agrariam legem, & frumenti diviſionem, plus patricii quam reliqua civium multitudo valuerunt. Marium, Cinnam, Cæſarem, non dubios libertatis violatores, plebes, & Tribuni, non Patres, evexerunt. Repetendæ libertati nobiles animum & facinus attulerunt; id præmium à plebe meriti, ut fremente ob cædem Iulii multitudine, parricidæ audirent. Decemviros fraude ſuâ, non alienâ ope, & invitis Patribus, tyrannidem ingreſſos multitudo faſtigio detraxit: ſed nimirum ductoribus nobiliſſimis viris Coss. Senatu violentiam vindicantium non probante: non quia factis Decemvirorum accederet; ſed ne exemplum patricii ſanguinis vilipenſi ulterius proſerperet. Certè non obſtitit Senatus libertatem aſſerturis: quemadmodum plebs non ſemel Patrum conatibus & communi libertati adverſata eſt. Mitto jam Iulium, qui fortibus in hoſtes factis, largâ in egenos munificentia, ſingulari in adverſos clementiâ, in omnes denique humanitate meruiſſe videri diadema queat. Caligula hominum quos terra

tulit crudeliſſimo interfecto, cum Coss. aſſumto Senatu & cohortibus urbanis revocandum priſtinum ſtatum, & abolendam Cæſarum memoriam cenſerent, per multitudinem maximè ſtetit, quò minus cœpta exſequerentur; unum rectorem, & nominatim Claudium, expoſcentem. Vide Tranquil. in Calig. cap. ult. in Claudio, cap. 10.

Per eandem occiſi Neronis invidia in patres derivata eſt, requirentem circos ac theatra; etſi paulo ante morte ejus gaviſam adeò, ut pileata totâ urbe diſcurreret. Eleganter Tacitus, lib. 1. Hiſtor. *Sed patres læti, uſurpatâ ſtatim libertate*, &c. *Primores equitum proximi gaudio patrum. Pars populi integra, & magnis domibus annexa, clientes libertique damnatorum & exulum in ſpem erecti. Plebs ſordida & circo ac theatris ſueta, ſimul deterrimi ſervorum, aut qui adeſis bonis, per dedecus Neronis alebantur, mœſti & rumorum avidi.* Quod rumorum avidos fuiſſe dicit, eò pertinere puto, quod nonnulli vivere Neronem, & brevi magno inimicorum malo reverſurum jactarent, credulâ multitudine, aut falſa ſpe ac rumore inani ſe oblectari non indignè ferente. Deſiderium tantum erga

peſtem

peſtem humani generis unde ortum ſit, non mirabitur, qui ſeculum, pudore rupto, omni flagitiorum apertâ confeſſione merſum, & peſſimum quenque ſimilem ſibi principem optaſſe conſideraverit. Quos idem Tacitus argutè ait *à Nerone aſſuefactos, ut haud minus vitia principum amarent, quàm olim virtutes verebantur.*

Auctoritatem, quam exemplis adjungam, non longè diſpiciam: cum in præſenti eam habeam. Verba enim Taciti, quorum ductu ad hanc diſſertatiunculam devenimus, non obſcurè innuunt, nonniſi nobiles Auguſto adverſari potuiſſe, quo minus omnia munia, omnia jura in ſe traheret: quorum alii vi frangendi fuerint, alii muneribus objectis placandi.

Armis oppugnationis & defenſionis à nobilitate & plebe in oppoſitas quaſi acies deductis, interventu diſtinctionum pugnam, ſi poterimus, dirimemus.

1. Cum procreandæ & conſervandæ nobilitatis fundamentum ſit virtus: qui à virtute ad ſcelera deſciſcunt; qui deſidia reip. inutiles; gulâ ſibi dedecori; faſtu libertati graves vivunt; qui latrocinia, raptus, adulteria, leno-

lenocinia exercent: majoribus, quorum veſtigia deſeruerunt, indigni, verè nobilium cenſu non ſunt habendi; ſed vel inutilia terræ pondera; vel patriæ, libertatis, honeſtatis hoſtes judicandi.

2. Qui verò imagines majorum non ignaviæ ſuæ exprobrationem,ſed morum gravitatis incitamentum ſervant; qui paternas virtutes ſuis in remp. meritis cumulant; qui pro patriæ tranquillitate ac decore vitam & fortunas effundere parati ſunt; qui opes non inſtrumentum luxuriæ, ſed liberalitatis adjumentum habent; qui literis & honeſtati bellum non indixerunt; argumentorum oneribus, quæ pro plebejis adduximus, non premuntur. Et imperitè Macchiavellus,aut veteratoriè,nobilitatem cenſu & violentiâ metitur; credo, quò majori eam applauſu conviciis oneret.

3. Qui natalium obſcuritatem virtutum lumine diſpellunt; qui fortunæ iniquitatem animi æquitate retundunt;qui ingenii ſublimitate ad altiora contemplanda evolant; doctrinæ niſu ad generoſiora gerenda emergunt; qui morum puritate fæcem ac ſordes vulgi exeunt: odioſo *quorundam*

nomine

nomine non ſunt onerandi; nec in ejuſmodi viros argumenta ſuperiora torquenda.

4. Ut verè reſpublica dici poſſit, nobiles & plebeji honorum participes ſunto. Sin ea res contentionem & æmulationem partura ſit, parti meliori applicandum eſt. Sanè nobilitatem à reip. adminiſtratione amovere velle, qui gradu aliquo reliquos cives excedunt; quomodo cum ratione & æquitate non pugnet, non video. Ut nec iſtud capio, quamobrem Vir verè nobilis virtutem, animi generoſi ad amicitiam ſimilis conciliatricem, in alio averſetur. Mutuò igitur alii alios feramus: niſi reip. ratio, antiquitus recepta, & paci publicæ ſerviens, aliud ſuaſerit: ut Venetorum & Helvetiorum contrariis moribus eſt receptum.

Ferociſſimi] Libertatis patrocinium vultu & ſermone præ ſe ferentes; & aſſertionen palàm auſuri. Clapmarius, lib. 2. cap. 17. De arc. rerump. cum his confundit *pluſquam civilia agitantes*; & quos Livius vocat *elatos ſupra modum hominis privati*; Curtius *Contumaciæ ſuſpectos*; Ammianus Marcellinus *recalcitrantes Majeſtati*; Calpurnius *ſceleratos*; poſteriores Imperatores

impios & Majeſtatis hoſtes. Et ne dubium cuiquam ſit, quoſnam intelligi velit, huic catalogo inſerit *civilia filiorum ingenia*, & Avidium illum Caſſium, de quo Volcatius, *oderat tacitè principatum, nec ferre poterat Imperatorium nomen.* Majori ſententias auctorum corradendi diligentiâ, quam expendendi judicio! Tacito enim plusquam civilia agitare dicuntur, non qui populo libertatem reſtitui cupiunt; quo nomine civilia filiorum ingenia Imperatoribus erant ſuſpecta: ſed quos cupido ipſos dominandi rapit, quique conſilia ſua eò dirigunt, ſed furtim & quaſi per cuniculos. Quod vel Calpurnius docere Clapmarium poterat: *Sceleratis ingeniis, & plusquam civilia agitantibus, non dominari inſtar ſervitutis eſt.*

Elatos ſupra modum hominis privati regnum & ipſos moliri, ſed vultu & ſpiritu apertiori, autumo. Quos verò Contumaces, recalcitrantes, ſceleratos, impios vocari ait; illi ſunt, qui res compoſitas & jam fundatum principatum ferre nequeunt. Cujuſmodi homines odio merito habemus, ut publicæ tranquillitati adverſos, & rebus veteribus novas præferentes. At non item feroces illos, qui laban-

tem libertatem vel caſu ſuo fulciunt. Quos acie quidem aut proſcriptione tollere eſt, & evitare. Minus verò facile aſtutos illos & profundos: quos nunquam metuere deſiit Tiberius. Quorum in claſſem redigit Famianus Strada Guilielmum Orangium: nihilque actum fuiſſe ſtrage Egmontani & Hornani, elapſo Taciturno, Terror ille Belgii & fulmen belli Hiſpanus judicaverat. Eundem Guilielmum Boterus ait fuiſſe *timido più che una pecora, mà fraudolente più che una volpe*, ove timidiorem, vulpe aſtutiorem: lib.4. della ragion di Stato. Addubitante me, an meritò tantum timorem attribuat ei, qui res tam arduas aggredi, contra gentem conſiliis & potentiâ validiſſimam, auſus ſit; qui Moſam fluvium vi perrumpere, Albano adverſam ripam acie tenente; non irrito conatu tentaverit, qui elicere in prælium Albanum, ſapienter eludentem primos exercitus, mox commeatûs inopiâ dilapſuri, impetus, nec ſatis fidentem copiis ſuis, conatus fuerit. Niſi quia in cæteris cauta conſilia cum ratione, quam calida cum impetu agitare maluit, ideo ove meticuloſior ſit habendus. Quaſi verò

H 2 forti-

fortitudo rationem reſpuat, aut metui tribuendum ſit; quod temeritate vacat.

Per acies, aut proſcriptione] Ferociæ manifeſtos & libertatis nimium fovendæ cupidos è medio tollere, regium introducturis ſtatum libido eſt. Id verò quâ ratione cautiſſimè fiat, ut vel ſævitia eorum lateat, vel laudem mereatur, aut reprehenſionem ſaltem effugiat, diſpiciunt. Tutiſſimum eſt, & à plauſu proximum, ſi omnes acie victos ardore pugnæ delere poſſis. Belli enim cauſam minus juſtam eventus fortunatus, & ipſa ſtrenuitatis opinio purgabit. Et ſi quid crudeliter ſtatutum in adverſarios fuerit, victoriæ conditioni, non iræ victoris adſcribetur. Communem ſequi errorem hominum, cædes belli jure factas juſtificantium, rationibus tuis conducet. *Madet orbis mutuo ſanguine, & homicidium quum admittunt ſinguli, crimen eſt; virtus vocatur, quum publicè geritur. Impunitatem ſceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, ſed ſævitiæ magnitudo.* Cyprianus, ut eum laudat Ludovicus Vives Commentario in IV. libr. Auguſtini De Civitate Dei, ad illum locum: *Remotâ juſtitiâ quid ſunt regna niſi magna latrocinia? quia*

quia & ipſa latrocinia, quid ſunt niſi parva regna? Quod ſi non poſſis pugnæ fervore omnes internecioni tradere, ipſo victoriæ curſu, quaſi licentiâ militari, quæ inhiberi non poſſit, ut ad voti tui ſummam pervenias, utare. Quia verò & hoc modo per latebras aut abſentiam plurimos ſubduci ferro, credibile eſt; proſcriptionem Sullanam, Triumvir conſtituendæ reip. revoca. Quâ crudeliſſimè exercitâ, veniam delictorum univerſalem propone, humanitatis rumore omnibus invitatis. Reliquias inimicorum, ſiquæ fuerint, ſpecie juris & legum, ſubornatis qui cauſſas cædis ſtruant accuſatoribus, exſcinde: revocatâ lege Majeſtatis, & ad tuum ſenſum accommodatâ; aut conjurationis in caput tuum auctoribus vel conſciis nominatis. Nimis enim antiqui ſunt, qui larvâ abjectâ perſonam ſuam oſtendentes, homicidia quia lubet jubent. Illi enim tantum abeſt, ut regnum ſuum iſto modo ſtabiliant, ut etiam omnium odiis erumpentibus, & mutua fiducia ſtimulatis, in præſentiſſimum perdendæ cum honore vitæ diſcrimen veniant; & Germanorum commune verbum Geſtränge Herren

regieren nicht lang / caſu ſuo approbentur. Cajum, & Ænobarbum, impietate, inceſtu, cædibus apertè graſſatos cummunis caſtrorum & Urbis conſenſus cervicibus hominum depulit. Tiberium, legum exercendarum velo ſcelera palliantem, ſecretaſque libidines præſentibus omnium oculis eripientem, pertulerunt. Non quòd nequitiæ pœnam non ſenſerit, aut tortorem ſuum effugerit. Satis enim à ſe ipſo ſcelerum memoriâ & exercitio tortus eſt, nec in ſolitudine inſularum, nec in frequenti Urbis adſpectu ſolatio, quod anxiam mentem ſublevaret, reperto. Et finem habuit vitâ digniſſimum, à ſuis in ipſo lecto ſuffocatus, non opitulante unico præſidio Simulatione. Suâ igitur morte obſignavit veritatem effati Iuvenalis:

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt reges & ſiccâ morte Tyranni.

Cæteri nobilium, quantò quis ſervitio promtior, opibus & honoribus extollerentur] Milite donis & imperandi aſſiduitate parere edocto; populo annonâ, congiario, theatrorum frequentiâ ſub jugum miſſo; tertia pars civium quæ doma-

Digitized by Google

domaretur ſuperat, gentes patriciæ & univerſa nobilitas. Quorum etſi pervicaciſſimi quique & jugum palàm aſpernati belli jure ceciderant; tamen non ita univerſos fractos eſſe animo credebatur, ut non aliquando repetendæ libertatis, oblatâ rei gerendæ occaſione, vexillum tollere auderent. Quare & hos muneribus expugnandos Auguſtus arbitrabatur, verum excellentioribus, quantum reliquâ multitudine excellentiores vel dignitate vel facultate erant. Opibus igitur & honoribus eos evehebat: partim ne rerum novarum, ex quibus aucti eſſent, pœniteret; partim ut affectos munificentiâ ad gratiam reddendam obſtringeret, & cæteros aſſequendi ſpe detineret. Nec æquam in ſingulos aperuit largiendo manum: verùm quò quis ad ſerviendum promtior, adoreâ abibat auctior. Quâ re non id modò effectum eſt, ut reliqui quoque nobilium allicerentur; ſed ut præfracti animi qui eſſent, aſſurgendi facultatem & audendi non haberent, infra ſervientium turbam fortunâ ſplendidiorem collocati.

Cæteri nobilium] Non generis modò vetuſtate, ſed virtute & rebus geſtis

illuſtrium. Ita Auguſtus M. Agrippam, nullarum hominem imaginum, ſed perſpectæ in re militari prudentiæ, fortitudinis, fideì ſupra omnes extulit, potentiâ & auctoritate tantum non ſibi adæquatum. Filiam quoque ſuam Iuliam in matrimonium ei locavit: ſubmonente Mæcenate, ut eſt apud Dionem, eò jam faſtigii aſcendiſſe Agrippam, ut vel occidendus, vel gener ſit ſumendus. Sic Tiberius Ælium Sejanum, equite modò Romano Vulſiniis genitum, conſiliorum ſupremum fecit; callidum, aſtutum, ſed minus quàm Agrippam ſpectatæ hominem integritatis. Ut vel hinc judicium Tiberii ſagacitate Auguſti inferius deprehendas. Niſi fortè (quod tamen è Tacito non eruas) Hominis audaciam prudens aluerit, non dubius, everſis per eum Germanici liberis, invidiâque ſævitiæ multorum in eum derivatâ, poſſe eundem à ſe non magno negotio perverti. Secundo (ut modeſte loquar) à viris militiâ & genere celebribus loco Auguſtus habuit viros eruditione variâ claros: quos gratiâ & liberalitate adjutos, à ſuo pendére vultu voluit. Quod imitati

tati cæteri plerique Principes, exiſtimationem ſibi ſapientiæ, humanitatis, gravitatis fovendis iis paraverunt. Ne jam dicam, per eos & eorum ſcripta nomen æternitati temporum mandare voluiſſe, & iis quaſi capitibus plebis obſidibus, multitudinem faciliori freno potuiſſe circumducere. Nero verò & Domitianus an firmiùs potentiam ſuam ſtabiliverint, pellendis & contrucidandis iis, quàm Titus Veſpaſianus, M. Antoninus, doctiſſimi ipſi & doctorum fautores; quàm Trajanus, Iuſtinianus, ipſi quidem literarum rudes, verùm inſigni erga eruditos reverentiâ; eventus utrorumque doceant.

Quanto quis ſervitio promtior] Magnatum gratiam ambituro, & in conſpectu Principum acturo, opus eſt promto ſervitio, & ſervili promtitudine: ut & alacritas adſit in agendo, & ſubmiſſio in parendo. Placet principibus vigor animi & agilitas miniſtrorum: ſed magis placet obſequium & modeſtia. Qui igitur hanc aulæ inſiſtitis viam, quam lubrico verſemini gradu, memores, &, quantum ad impellendum labentem undique inſidiarum; gnari, non modò præſenti, ſed & vigi-

lanti animo in omnes cavendi occaſiones attenti eſtote. Proponite vobis virum aliquem, qui difficultates aulæ feliciter ſit emenſus, ejuſque actiones & mores imitamini. Qualis fuit Iulius Agricola: quo viro illis tempeſtatibus nec actuoſior quiſquam fuit, nec ſedatior. *Nihil appetere ob jactationem, nihil ob formidinem recuſare, ſimulque anxius & intentus agere.* Tacitus in Vita Agricolæ.

Temporum iniquitas verſatilem animum, & temperatam ſilentio conſtantiam poſcebat: *quibus ſiniſtra ergà eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magnâ famâ, quàm ex malâ.* Quare & quiete aliquandiu vitam, & honores otio tranſegit: *gnarus ſub Nerone temporum, quibus inertia pro ſapientia fuit.* Paulatim tamen ſtrenuè rebus gerendis igneum animum explicuit: ita verò ut jactantia vitata invidiam deſugeret. *Nec unquam in ſuam famam geſtis exultavit: ad auctorem & ducem, ut miniſter, fortunam referebat: ita virtute in obſequendo, verecundia in prædicando, extra invidiam, nec extra gloriam erat.* In magiſtratu verò gerendo ſingularem animi dexteritatem, & callendi temporum puncta ſcientiam exhibuit. *Tempora curarum remiſſio-*

remiſſionumque diviſa. ubi conventus ac judicia poſcerent; gravis, intentus, ſeverus, & ſæpius miſericors: ubi officio ſatisfactum, nulla ultrò poteſtatis perſona. Triſtitiam & arrogantiam, & avaritiam exuerat: nec illi, quod eſt rariſſimum, aut facilitas auctoritatem aut ſeveritas amorem deminuit. Gloriæ & nominis parandi non ſupra modum avidùs, nec captare popularem auram vanâ ambitione gnarus. *Ne famam quidem, cui etiam ſæpè boni indulgent, oſtentanda virtute, aut per artem quæſivit: procul ab æmulatione adverſus collegas, procul à contentione adverſus procuratores. Et vincere inglorium, & atteri belli ſordidum arbitrabatur.* Belli vero rebus proſperè geſtis, quibus maximè inſoleſcunt hominum animi: *ne laureatis quidem geſta proſecutus eſt, ſed ipſa diſſimulatione famæ famam auxit, æſtimantibus quantâ futuri ſpe tam magna tacuiſſet.* Iam ut in provincia agentis famam res geſtæ, non laureatæ loquebantur: ita ingreſſus in urbem abſque omni pompâ & oſtentatione fuit. *Ac ne notabilis celebritate & frequentiâ occurrentium introitus eſſet, vitato amicorum officio, noctu in urbem, noctu in palatium, ita ut præceptum erat, venit: exceptuſque brevi oſculo & nullo ſermone, turbæ ſervientium immixtus eſt.* Domitiani quidem

H 6 Impe-

Imperatoris offenſam iſto modo declinare ſtudebat. Nec verò captandæ aulicorum gratiæ negligens aut remiſſus erat. *Vt militare nomen, grave inter otioſos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium auxit, cultu modicus ſermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus.* Quanquam ne ſic quidem diſcrimen vitæ, niſi ægrè & quaſi per flammam, evaſit. *Crebrò per eos dies apud Domitianum abſens accuſatus, abſens abſolutus eſt. Cauſſa periculi non crimen ullum, aut querela læſi cujuſquam, ſed infenſus virtutibus princeps, & gloria viri, & peſſimum inimicorum genus, laudantes.* Ita egit in aula corruptiſſimâ vir morum integerrimorum; ut nec vitiorum ſimulatione virtûtes obliteraret, nec rurſus apertâ vitæ auſteritate Principem gravitati inimicum irritaret. *Non contumaciâ, neque inani jactatione libertatis, famam fatumque provocabat.* Quibus verbis tanguntur rigidæ Stoicorum ſapientiæ obſervatores, aut naturâ contra obſequium contumaciores: qui *per abruptum, ſed in nullum rei poſt uſum, ambitioſâ morte inclaruerunt.* Adverſam ab his ruinoſæ cymbæ partem incumbebant, qui ſimulatâ inertiâ, luxuque advocato, periculum effugere ſategerunt. —— *quis*

——— *quis mens circumflua luxu*
Noverat intactum vitio ſervare vigorem.

Quo nomine graviſſimus autor collaudat Criſpum Salluſtium, aulæ & rerum civilium peritiſſimum: qui quod Mæcenas apud Auguſtum, defuncto eo apud Tiberium fuit: Hic *quanquam promto ad capeſſendos honores aditu; Mæcenatem æmulatus, ſine dignitate ſenatoriâ multos triumphalium conſulariumque potentiâ anteiit. Diverſus à veterum inſtituto, per cultum & munditias; copiâque & affluentiæ, luxu propior. Suberat tamen vigor animi, ingentibus negotiis par, eò acrior, quo ſomnum & inertiam magis oſtentabat.* Tac. 3. annal. Nec tamen iſta vitiorum imitatione ſemper effugére obtrectationes miniſtrorum, principum odia, ſuam perniciem.

Vel C. Petronium, elegantiarum arbitrum, & luxu Salluſtium antegreſſum, ſpecta. *Illi dies per ſomnum, nox officiis, & oblectamentis vitæ tranſigebatur. Vtque alios induſtria, ita hunc ignavia ad famam protulerat; habebaturque non ganeo, & profligator, ut plerique ſua haurientium, ſed erudito luxu. Ac dicta factaque ejus quanto ſolutiora, & quantam ſui negligentiam præferentia, tanto gratius in ſpeciem ſimplicitatis accipiebantur. Proconſul tamen*

Bithyniæ, & mox conſul, vigentem ſe ac parem negotiis oſtendit: dein revolutus ad vitia, ſeu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neronis aſſumtus eſt, elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum & molle affluentia putat, niſi quod ei Petronius approbaviſſet. Lib. 16. annal. Hic tamen tantus artifex, Neronemque tantopere ob vitiorum ſimilitudinem demeritus, levi aut nulla de cauſſa ad mortem adactus eſt: nihilque ei profuit virtutum vel diſſimulatio, vel profligatio. Malo & mediæ navis parti, ubi minimus jactationis ſenſus, minuſque mergendi periculum, Agricola aſſidebat, neutram in partem lateri inclinans, vel contumaciâ vel inertiâ medium deſerendo.

Ita ſe erga ſuperiores & æquales gerendo, & præterea injurias ferendo & gratias agendo, rem Domitiani aula claris viris rariſſimam conſecutus eſt, ſuâ ut morte, ætate in ſenectutem vergente, defungeretur. Quod de injuriis cum gratiarum actione toleratis dixi, elucidandum è vitæ ejus hiſtoria eſt. *Poſcebatur ore vulgi dux Agricola: comparantibus cunctis vigorem, conſtantiam, & expertum bellis animum, cum inertia & formidine eorum. Quibus ſermonibus*

ſatis

ſatis conſtat Domitiani quoque aures verberatas, &c. *Acceſſere quidam cogitationum principis periti, qui iturusne eſſet in provinciam, ultrò Agricolam interrogarent. Ac primò occultius quietem & otium laudare, mox operam ſuam in approbanda excuſatione offerre: poſtremò jam non obſcuri, ſuadentes ſimul terrenteſque, pertraxére ad Domitianum. qui paratus ſimulatione, in arrogantiam compoſitus, & audiit preces excuſantis, & cum annuiſſet, agi ſibi gratias paſſus eſt: nec erubuit beneficii invidiâ.* Atque ita Agricola ereptum ſibi populi beneficium, ereptos honores meritos, diſſimulato dolore, principi imputavit, gratiaſque coràm egit. Majorum tamen injuriarum læto vultu à regibus acceptarum, hiſtoriæ gentium, Perſarum præſertim & Ægyptiorum, monumenta tradunt.

Cambyſes, certitudinem manûs inter pocula occiſo Præxaſpis filio expertus, patrem aſtantem interrogavit, num ſatis certam haberet manum. Cui ille, ne Apollinem quidem certius jaculari poſſe, reſpondit. Harpagus liberis ipſe ſuis, quos rex Aſtyages illi epulandos inſcienti appoſuit, paſtus: intellectâ deinde rei atrocitate interrogatus, quam ipſi hæ epulæ placerent:

cerent: apud regem, inquit, omnes epulæ jucundæ ſunt. Vide Herodotum & Iuſtinum. *Neceſſaria eſt iſta doloris refrenatio, utique hoc ſortitis vitæ genus, & ad regiam adhibitis menſam. Sic eſtur apud illos, ſic bibitur, ſic reſpondetur: funeribus ſuis arridendum eſt.* Seneca lib. 3. de Ira.

Servitio promtior] Surgente principatu ad promtè ſerviendum opum & honorum eſca alliciendi erant viri nobiles: progreſſu temporis & roborato dominatu ultrò ad fœdam etiam adulationem cum Coss. pedarii ſenatores prolabebantur. *Memoriæ proditur, Tiberium, quoties curiâ egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui ſolitum, O homines ad ſervitutem paratos! ſcilicet etiam illum qui libertatem publicam nollet, tam projectæ ſervientium patientiæ tædebat.* Nonnemo è patribus decrevit, Principi deligendos eſſe ſenatores, qui ferro accincti, ſalutem curiam intrantis defenderent. 6. annal. alius aureas literas, & id genus monſtra in honorem Cæſaris, ab ipſo rejectum, ſomniavit. Quæ paraſitandi turpitudo ſi his terminis ſtetiſſet, ferendum quoquomodo erat; ſed dato ſemel malis moribus freno, trahebat *ſæva juſſa,*

continuas

continuas accuſationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium. 4. annal. Accuſatorum præmia, mutuæ intimorum proditiones, turpi latebrâ Patres verba miſerorum auſcultantes, ſupplicationes damnato reo inſtitutæ, hunc produxerunt fructum, quem auctor lib. 6. facundè deſcribit. *Iacuit immenſa ſtrages: omnis ſexus, omnis ætas: illuſtres, ignobiles: diſperſi aut aggregati. Neque propinquis, aut amicis adſiſtere, illacrymare, ne viſere quidem diutius dabatur. Sed circumjecti cuſtodes, & in mærorem cujuſque intenti, corpora putrefacta aſſectabantur, dum in Tiberim traherentur. Vbi fluitantia, aut ripis appulſa, non cremare quiſquam; non contingere. Interciderat ſortis humanæ commercium, &c.* Hæc ſub Tiberio, aliquo verecundiæ & metûs intuitu ſe reprimente: piget referre inſequentium quorundam Imperatorum in capita maximè Senatorum deſævientes tempeſtates. Hanc adulandi, & principem ad deteriora propellendi, ſementis meſſem habuit. Quæ adulatio per ſe deteſtabilis, deterioris notæ fuit, cum ſe libertatis quadam ſpecie venditavit. Vt illa Ateji Capitonis, de qua lib. 3. annal. *L. Ennium equitem Romanum majeſtatis poſtulatum, quòd effigiem principis*

principis promiſcuum ad uſum argenti verüſſet, recipi Cæſar inter reos vetuit: palàm aſpernante Atejo Capitone, quaſi per libertatem. Non enim debere eripi patribus vim ſtatuendi, neque tantum maleficium impunè habendum. Sanè lentus in ſuo dolore eſſet, Reip. injurias ne largiretur. Intellexit hæc Tiberius ut erant magis, quàm ut dicebantur: perſtititque intercedere. Non abſimilis antea fuerat ſervilis libertas Meſſallæ Valerii, qui ſententiâ majoribus & cognomine ſuo indignâ cenſuerat, *renovandum per annos ſacramentum in nomen Tiberii. interrogatuſque à Tiberio, num ſe mandante eam ſententiam promſiſſet? ſponte dixiſſe, reſpondit: neque in iis quæ ad Remp. pertinerent, conſilio niſi ſuo uſurum, vel cum periculo offenſionis.* Lib. 1. annal.

O mores projectâ veterum integritate prolapſi! ô Roma, ut antea libertate, ita nunc ſervitute nimia! quàm non inſulſè ille, qui ſcripſerat, Brutum & Caſſium ultimos Romanorum fuiſſe!

Non defuére tamen in media aſſentatorum colluvie gravitatis ac prudentiæ memores, & verè Senatores, qui animam efflantis libertatis ſcintillas quaſdam foverunt, vel improbantes temporum conditionem, vel,

vel, ſalſè deridentes, vel, quod ſalubrius fuit, ſalutari temperamento moderantes.

Equorum numero præcipuam laudem meritus M. Lepidus, ſocordem levitatem cognominis Triumviri, ſeditioſaſque conciones ejus qui Sullæ temporibus vixit, honeſtâ morum temperie ſuperavit. *Nam pleraque ab ſævis adulationibus aliorum in melius deflexit: neque tamem temperamenti egebat, cum æquabili auctoritate & gratiâ apud Tiberium viguerit.* 4. annal. Illi verò ad infimas adulationes projecti, nec auctoritate ſtabant, & gratiâ non rarò excidebant. Nec minus libera, paulò etiam mordacior oratio fuit Cn. Piſonis. Qui, cum Tiberius ruptâ taciturnitate præ ira exclamaſſet, ſe quoque ſententiam, & quidem juratum, laturum: *Quo loco, inquit, cenſebis Cæſar? ſi primus, habebo quod ſequar: ſi poſt omnes, vereor ne imprudens diſſentiam.* 1. annal. Neceſſitatem ſententiæ ejus à Patribus approbandæ, argutè ei exprobrabat.

Alter Piſo, cui Lucii nomen M. Lepidi moribus & vitæ acceſſit: *nullius ſervilis ſententiæ ſponte auctor, & quoties neceſſitas ingrueret, ſapienter moderans.* 6. annal. Propriam Piſonibus libertatis

tatis vindicationem fuiſſe dixeris. Nam & Calpurnius Piſo, gentilis ejus qui caput conjurationis Neronianæ exſtitit, eam acriter & propè immodicè uſurpabat. Præſente Tiberio *ambitum fori, corrupta judicia, ſævitiam oratorum, accuſationes minitantium increpans, abire ſe, & cedere urbe, victurum in aliquo abdito & longinquo rure teſtabatur.* 2. annal. Pari fiduciâ Urgulaniam, amicitiâ Auguſtæ ſupra leges elatam, in jus traxit ad dicendam cauſſam; ſpretâ potentiorum inimicitia. *Quæ in præſens Tiberius civiliter habuit. Sed in animo revolvente iras, etiamſi impetus offenſionis languerat, memoria valebat.* 4. annal. auxiſſetque & ipſe numerum ſævâ legum calumniâ circumventorum, niſi maturâ morte, receptus jam reus, obiiſſet.

Opibus & honoribus extollerentur] Alia eſt obſtringendi vulgi ratio, alia nobilium & turbam egreſſorum: prout diverſis utrique capiuntur ſtudiis, diverſis oblectamentis. Vulgus hominum vel naturæ neceſſariis capitur, vel voluptatum dulcedine ducitur. Ventris ſaginam, laborum remiſſionem, oculorum paſtionem ſummam felicitatem arbitratur. Celſiora ingenia

nia Statum & vitæ ornamenta, ſine quibus vitam nullam eſſe opinantur, cogitant. Diverſam igitur ad utroſque capiendos viam Auguſtus inſiſtit; aliam atque aliam ſagenam projicit.

Multitudinis hiantes fauces congiario, latrantem ventrem annonâ, curioſos oculos theatris; Paucorum erectiores animos, nec in diem victuros, opum & honorum munere explet. Honorum quidem, gloriæ, & claritatis generoſa mens inprimis eſt avida: eorumque certamen nulli ceſſurum licitum ac honeſtum judicat. Quia tamen illa haberi ſine ſplendore opum vix poſſunt, ideò & iſtarum conſervandarum & ſine ſorde augendarum curam ſuſcipit.

Quas & vulgus magni æſtimat, & cumulandis iis omni curâ incumbit. Hoc tamen diſcriminis eſt, quod plebecula nec ad honoris comparationem eas inſumat, & lucrum è qualibet re captare non erubeſcat; generoſi verò ſordibus lucrorum atteri veriti, honeſtioribus cauſis diteſcere malint, & famæ divitias, non hanc illis ſervire jubeant. Gaudent igitur præmiis à regibus affici, non ipſo tantum munere, ſed quod digni judicati ſint, in

quos

quos bona ſua derivari Monarchæ velint. Hinc promtum obſervandi ſtudium, hinc obſequium ne quidem in humillimò officii genere omiſſum. Hinc ſudor & feſtinatio gratiam regiam aucupantium, ſeque mutuò in iſto concurſu calcantium. Hinc amor, indignatio; favor, invidia; ſpes, metus; gratatio, murmuratio: aliis fumos vendentibus, aliis ventos captantibus; aliquo expleto, nemine ſaturato.

Nec induſtriæ ſemper aut meriti opus eſt, ventum captare ſerentem, ut ſecundo gratiæ flatu vela tua impleantur: fortuna, quæ multis in aliis negotiis, ea in hoc vel inprimis dominatur. *Vnde dubitare cogor, fato & ſorte naſcendi, ut cætera, ita principum inclinatio in hoc, offenſio in illos: an ſit aliquid in noſtris conſiliis, liceatque inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium, pergere iter ambitione ac periculis vacuum.* 4. annal. Nec is qui proximo à rege loco hodie ſtetit, perpetuam ſibi & inconcuſſam potentiam polliceatur. Sejanus quo die frequenti Senatu in curiam deductus eſt, à populo in fruſta diſcerptus eſt. Una hora, quid hora? unum momentum Haamanum è culmine præcipitavit, Mardochæum è luto

luto evexit. Quibuſcum mitius agitur, ſpeciem magis in amicitia principis, quàm vim tenent. *Idque & Mæcenati acciderat: fato potentiæ raro ſempiternæ: an ſatias capit, aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum jam nihil reliquum eſt quod cupiant.* 3. annal. Vide de navibus in ſicco navigantibus Trajani Boccalini Parnaſſum.

Novis ex rebus aucti, tuta & præſentia, quam vetera & periculoſa mallent] Triplex eſt eorum, quin in repub. verſantur, ita ut ejus partem aliquam attingant, hominum genus. Primi veterum morum ita amantes ſunt, ut non niſi cum iis vivere velint; nec eos, qui compoſita convulſum eunt, intueri ſuſtineant. Quo in numero fuit Cato ille, qui voluntariâ morte Uticam nobilitavit; & Petrejus, qui, ne regnantem Cæſarem videret, cum Iuba rege concurrendo mutuis ictibus interiit; & Scipio ſocer Pompeji, qui eandem Africam cruore manu ſuâ educto irrigavit. In altera hominum ſorte eos pono, qui, cum præſentia non probent, ſimulato novarum amore, in occaſionem ſe ſervant reformandi ſtatûs, plus profuturi rei communi vita agenda, quàm morte obeundâ. Horum

rum in claſſe Cicero fuit, & qui cum eo ſervire Cæſari contra animi ſententiam potuére, duabus ſeſſuri Sellis, temporibus inſidiaturi. Tertium hominum genus eſt, qui ſe foro aptant, & omiſſâ veterum curâ, è præſentibus rem ſuam faciunt, aut certè quieti ſuæ & publicæ conſulunt. Ad hunc ordinem refer Mæcenatem, Salluſtium Criſpum, & alios qui creſcentes Cæſarum res vel operâ vel quieſcendo adjuverunt. Primæ claſſis cives aut uno navigare curſu, aut mergere naves, nec ſubmerſis enatare voluerunt. Alterius, aut obliquo pergebant velo, aut venti vi ſuperante fortunæ ſe ferendos dederunt, commodiorem petendi portum occaſionem exſpectantes. Poſtremæ claſſis cives, prioribus animo & patientiâ impares, vento per omnia obſecundantes, portum non quem deſtinaverunt, ſed quò ventus rapit & unda, petierunt. Hi ſunt quos Temporum Homines graviſſimus auctor vocat, & recentiorum nonnemo Omnium horarum homines: qui cum fortunæ rota, quò ſpes vel metus torquet, circumacti immutantur.

Ejuſmodi ingenia aulicæ vitæ

aptiſ-

aptiſſima eſſe, & ſola Politicorum nomen mereri, præſertim ſi amicitiæ ſpecie ſupplantare alios calleant, vulgus arbitratur.

Quod ſi admittamus, in levitate, & quod gravius eſt, nequitiâ fundatam Politicam ſcientiam fatebimur.

Atque ita, non diſtinguendis hominum vitiis ab artis regulis, nobiliſſima diſciplinarum de exiſtimatione ſua periclitabitur, infra ſordida mechanicorum opera detruſa. Ne regibus quidem illa aulicorum vanitas optanda, qui ad minimum ſpei vel timoris flatum inſtar arundinis volvuntur. Quam facilè enim te attollentem ſignum ſequuntur, tam facilè aliunde præmiorum oſtentatione fulgente, vel pæne terrore fulminante, alienum nutum obſervabunt. More illius aulico-politici: de quo magnanimus Poëta, Claudianus:

Libravit geminas, eventu judice, vires:
Ad rerum momenta cliens, ſeſeque daturus
Victori.

Nec tamen omnis mutatio, quæ fit cum tempore, nec omnis accommodatio ad præſentem ſtatum in vitio eſt habenda. Eſt aliquid inter præfra-

ctam animi obſtinati pervicaciam, & ventoſam ſententiæ volubilitatem non conſtantis ſibi mentis medium. Tentatis omnibus reficiendæ navis remediis, fruſtraque ope omni conſumtâ, in litore exponi, quàm unà mergi velle, humanum eſt, nec ulli deſertionis crimini obnoxium.

„ *Neque provinciæ illum rerum ſtatum* „ *abnuebant, ſuſpecto Senatûs populique im-* „ *perio, ob certamina potentium, & avaritiam* „ *magiſtratuum: invalido legum auxilio, quæ* „ *vi, ambitu, poſtremò pecuniâ turbabantur.*] Redactâ in poteſtatem Urbe & civibus Romanis, non difficile erat Italiam, & provincias (quarum pleræque iniquo ſocietatis fœdere, aliæ per vim apertam ſub jugum redactæ, ſupercilium & inexplebilem cupidinem populi ac optimatum exhorrebant) ſubjugare. Nam qui ſedem imperii & caput rerum, unde tamquam à capite ad membra inferiora ſpiritus animalis defluit, ſupplantaverit; qui eos, penes quos conſervandi ſtatus poteſtas, exſtinxerit; ei non moroſè obluctando cætera cedent. Præſertim ubi ſubditis iniqui ſervitutis jugi pertæſis, & nexu bellorum civilium, quorum fulmina in capita civium non niſi

niſi per latera ſociorum cadebant, exhauſtis mutatio rerum volentibus accidit. Præterea provinciæ remotiores, nuper ſervire doctæ, nec Romanæ civitatis gnaræ, æqualitatem civium quibus parerent non requirebant, Cæſares ut domitores ſuos reſpicientes.

Valido inſuper Auguſti exercitu tenebantur, ne rebellandi voluntatem facultas comitaretur. In medio autem interjectis, veteribus & populo parére ſuetis, glaucoma objectum eſt, conceſſa populo earum per PROCOSS. adminiſtratione.

Neque provintiæ illum rerum ſtatum abnuebant] Senatûs populique in exteros imperium, quod non difficulter florentibus pace vel victoriâ rebus retinetur, inſigni calamitate acceptâ facile amittitur. Cauſſa ex indignatione: indignatio partim ex contemtu eorum, quos æquales conditione ſibi putant, quorum Majeſtatem in multos diffuſam non cernunt; partim ex violenta præfectorúm gubernatione, & avarâ tributorum exactione. In regno etiam iniquiſſimo remotiſſima quæque tutiſſima: proxima ſævitiæ fulmine quam maximè

percutiuntur. *Laudatorum principum uſus ex æquo, quamvis procul agentibus: ſævi proximis ingruunt.* Tacit. 4. Hiſtor. Reipub. verò honorem & proſpera ſoli cives ſibi vendicant: onera in provinciales maximè devolvuntur.

Capi iſta velim de ejuſmodi repub. qualis fuit Romana olim, Punica, Attica, Laconica: quæ quos imperio adjiciebant populos, pro ſubditis habebant, excluſos civitatis jure & capiendorum honorum æqualitate. Quos imitati avorum memoriâ Veneti, non diuturno gaviſi ſunt imperandi faſtigio. Quæ verò non dominationem & ſubditos; verùm potentiam & ſecuritatem ſpectantes, æquo fœdere coëunt, ex earum corpore ægrè membrum aliquod avellas, cum ad omnes eadem ex victoria maneat utilitas, idem honor; calamitatem verò alterius unaquæque civitas ſuam judicet. Cujus rei ſpecimen præbuére olim in Græcia Achæi & Ætoli, in Italia Hetruſci; hac ætate Helvetii. Quos imitantur nec aſſequuntur civitates per Saxoniam inferiorem Anſeaticæ, & Suevica per Germaniam ſuperiorem unitio. Omnium verò in hoc genere firmiſſimi Belgæ fœderati:

ſati : quorum ſic coaluerunt diverſa provinciarum (ita enim jam loquuntur) corpora, ut una animâ &, propè dixerim, uno capite regi ac moveri videantur.

Suſpecto Senatûs populique imperio] Unius cupiditatem Regis explere poſſis, unius ferre aut declinare faſtum.

Sub libero verò populo ſerviens provincia, omnium quorum imperio ſubeſt civium tolerare arrogantiam, omnium ſatiare avaritiam cogitur. Præteria diſſentiente à patriciis plebe, & ab utriſque equite, inteſtinam bellorum in ſe ruituram calamitatem quotidie experitur. *Nullum bonum ex diſtantibus :* (ut ea quæ Seneca contra claritatem nominis ſibi ipſi ſolvenda objicit, huc accomodem) ex unitione & continuatione pax & recreatio.

Ob certamina potentium & avaritiam magiſtratuum] Quàm horrenda fuerint apud Romanos diſcordiarum civilium exempla, quàm inſatiabiles præſidum rapinæ, ſine indignatione percipi non poteſt. In cæteris quas notitia complectimur rebuſp. ſactiones ultra clamorem, aut paucorum in exſilium ejectionem vix prorumpebant : cum illis nondum tantam po-

tentiam & ſecuritatem aſſecutis, bella domeſtica gerere non vacaret. Tributa verò à ſubditis acerbiſſimè exegerunt: quæ & bellorum perpetuò gerendorum ſumtum, & ſingulorum cupiditatem explerent.

Spartani his vitiis intactiores fuerunt, ſed iidem ſuperbia erga victos intolerabiles: ut ut bello Peloponneſiaco libertatem Græcorum obtentui ſumpſerint.

Invalido legum auxilio] Leges Romanæ aliæ ab æquitate non abhorruerunt, ſed quæ in exiguo uſu gratuitò implorantibus fuerint: aliæ ſuperfluæ, nulla publicâ utilitate, aut etiam in odium ſingulorum latæ. *Etſi aliquando in maleficos ex delicto, ſæpius tamen diſſenſione ordinum, & apiſcendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliáque ob prava per vim latæ ſunt.* Tacit. 3. annal. *Iamque non modò in commune, ſed in ſingulos homines latæ quæſtiones: & corruptiſſima repub. plurimæ leges.* Ibidem & mox: *Exin continua per viginti annos diſcordia; non mos, non jus: deterrima quæque impunè; ac multa honeſta exitio fuére.* Quæ de populari imperio, & legibus auctoritate Patrum latis eum loqui, è verborum contextu clarum. Fruſtra igitur Senatorum; fruſtra

ſtra Prætoris fruſtra, legum, opem imploraveris in ea civitate, quâ pulſa æquitate vis, ambitus, pecunia valebant.

Quæ vi, ambitu, poſtremò pecuniâ turbabantur] Legum ferendarum vel tuendarum auctores metus, gratia, avaritia à recti cuſtodiâ detorſerunt. Ex quibus Metum excuſare poſſis, invidiâ in eos quorum vis timebatur deflexâ: gratiæ, qua humanius peccatur, veniam fortaſſis impetraveris: at Avaritiæ nullus excuſationi, nullus veniæ locus. Turpe eſt, ſacrarum legum præſides à recto tramite vi depelli; turpius ambitu deduci; turpiſſimum pecuniâ elici. Quam turpitudinis maculam judicia in ſe recepiſſe, quo tempore nullo ſolo rerum potiente, libertatis nomine injuriarum publica licentia graſſabatur, liquidius eſt quam ut auctoritate teſtium opus ſit. Quorſum enim pertinebat forum armato milite à Pompejo teneri, cum cauſa occiſi Clodii dicenda eſſet Miloni, niſi vis ab illo & clientibus ejus timeretur? Quam ipſe Clodius adhibiturus in ſuo negotio fuiſſet, ſi alio modo expugnare judices deſperâſſet. Quid ille, qui ante ipſum tribunal

civem à ſe vulneratum, in judicium ultrò protraxit: quærentibusque quid illum incuſaret, quod non toto, inquit, corpore ferrum recepit. Indigna omnibus, qui aderant, quique audierant, res viſa: non tamen, ut decebat, vindicata.

Iam favore aut odio judicum quæſito legum vim eluſam, publicorum morum erat, nec inter corruptos, niſi fortè dicis cauſſa, numerabatur. Quid enim aliud volebant Orationum ad benevolentiam captandam adornata præambula? quid ſparſæ per totam orationem, ſed in fine maximè collectæ miſerationes? quid preces? quid habitus mutatio; amicorum præſentia; ſi ex veritate omnia judicarentur? Venalia verò judicia eſſe, nec Verres ignoravit qui, ut multa corrumpendis judicibus largiendo plura retineret, vulgarem rapiendi modum exceſſit; nec P. Clodius, qui ſacrorum violatorum & adulterii reus, damnationem nummis datis & lenocinio reddemtam evaſit. Et hos quidem ſeculum Catonis, &, ſi hunc quoque incorrupti moris civibus accenſendum putes, Ciceronis, nævos judiciorum habuit. *Nunquam apertius quàm*

coram

coram Catone peccatum eſt. Credat aliquis pecuniam eſſe verſatam in eo judicio, in quo reus erat Clodius, ob id adulterium, quod cum Cæſaris uxore in operto commiſerat, violatis religionibus ejus ſacrificii, quod pro populo fieri dicitur, ſic ſubmotis extra conſpectum omnibus viris, ut pictura quoque maſtulorum animalium contegantur? At qui dati judicibus nummi ſunt: & quod hac etiamnum pactione turpius eſt, ſtupra inſuper matronarum & adoleſcentulorum nobilium ſalarii loco exacta ſunt. Minus crimine, quam abſolutione peccatum eſt. Adulterii reus, adulteria diviſit: nec ante fuit de ſalute ſecurus, quàm ſimiles ſui judices ſuos reddidit. Hæc in eo judicio facta ſunt, in quo, ſi nihil aliud, Cato teſtimonium dixerat. Seneca, epiſt. 97. Qui legum contemtus & judiciorum eluſio, uno, quem penes vitæ & necis ſumma poteſtas, jus moderante, minus loci habet. Non enim vel minis terrueris, vel gratiâ flexeris, vel munuſculo corruperis eum qui facultate & potentiâ omnes infra ſe reliquit. De Gratia controverſiæ aliquid eſſe videtur, æquè eam in Principem atque in conſeſſum judicum cadere poſſe. Quarè contrariæ ſententiæ probandæ adducam unum locum Suetonii de Tiberio; principe primis imperii annis

inter optimos & peſſimos medio, *ſi quem reorum elabi gratiâ rumor eſſet, ſubitus aderat; judiceſque aut è plano, aut è quæſitoris tribunali, legum & relligionis, & novæ, de quâ cognoſcerent, admonebat*, cap. 33.

Atqui ut liberâ republica gratia & abſolutione; ita principibus obnoxiâ ſuſpicione & condemnatione exceſſum. Fateor: ſed & ſtante republicâ Ciceronem in exilium pulſum, Catonem in carcerem raptum, & alia indigna facta video. Ne Athenienſium, Carthaginienſium, Corcyræorum, Cyrenæorum arcana moveam.

Turbabantur] Ab æquitatis & rationis æquilibrio detruſæ, in favorem hujus, odium illius impellebantur.

Qua occaſione quibúſve artibus Octavius celeberrimam Rerump. in principatûs formam converterit, hactenus videmus. Animus erat, omnes eorum, qui ſingulari aliqua aſtutiâ dominationem ſibi acquiſiverint, methodos perluſtrare.

Sed ne in immenſum pelagus, unde haud facilis ad ſtationem reditus, profecti; temporis, cujus anguſtiâ circumſcribimur, jacturam faciamus: litus legere pergentes, non longè à Taciti cynoſurâ recedemus.

Unicum

Unicum duntaxat Medicæorum felici ſucceſſu coronatum molimen adjuncturi: tum quia non ulla domus illuſtrior ex iis, quæ ſuæ claritatis originem ſibi debent, tum quia reſpub. Florentina ſimiles Romæ caſus multos, habuit; Medicæus Auguſti virtutes pleraſque repræſentavit. Quare ſtatum primò veteris Florentinorum Reipub. tanquam anſam Medicæis præbitam obiter luſtrabimus: deinde Coſmi & Laurentii, qui inprimis feruntur, mores & ingenium intuebimur.

Præter inſitam populo diſſidii & mutationis aptitudinem,& naturalem inter plebem & nobiles ſimultatem, Florentini fervore animorum & ingeniorum velocitate novarum cupidi, haud diu quiete perfrui, aut rebus præſentibus acquieſcere, dum ſui juris lato libertatis campo ferociebant, poterant. Hinc variæ civitatis mutandæ formæ, & rerum compoſitarum faſtidio, ad bella uſque civilia & lanienas in medio foro mutuas prorumpentia partium ſtudia.

Prima diſtractionis civium in diverſa abeuntium origo (ne Guelphos & Gibellinos, illos Pontificiam, hos

Imperatoriam factionem, quæ tum temporis totam Italiam vaſtabant, memorem) ex Bondelmontii nece, cujus cauſa fuerat ipſius levitas, & injuria in familiam Amidæorum, rejecta quam ſibi deſponderat, aliam forma præſtantiorem amplexi. Princeps igitur diſſidium hoc ſecuta reip. formæ mutatio, qua urbe in ſex claſſes diſtributa, duodecim cives electi fuerunt; quorum bini annuo magiſtratu cuique parti præeſſent, quibus nomen tributum Antianorum. His addidére duos judices, qui inter cives jus redderent; quorum alter à ductu Capitaneus, à poteſtate alter Podeſtà nominaretur: ab exteris petitos, ut inimicitiarum, quæ ex judiciis oriri ſolent, cauſſis obviam iretur; ſimul gratiæ & odii in judicando cauſæ tollerentur.

Altera mox regiminis immutatio ſecuta: diſtinctâ urbe in opificum claſſes, quibus ſuos ſingulis magiſtratus præfecerunt: quorum ductu intra urbis mœnia ſtrenuè pugnatum, exules omnes revocati, ac mox iterum ejecti. Tertia reip. formæ innovatio, conceſſa iis quos Bonos viros vocabant poteſtate: addito his octoginta

civium

civium ſenatu, qui Conſilium credentiæ audiebant. Quarta mutatio, quatuordecim Principibus conſtitutis, quorum dimidia pars è Gibellinis, altera è Guelphis ſumeretur, annuum geſturi magiſtratum. Quinta rerum novandarum ſpecies, tribus ex civium numero, Priorum titulo, qui binos menſes reip. præeſſent, clavo demandato. qui Priorum numerus ad novenos mox productus fuit, aliquando & ad duodenos. Quæ res in fraudem nobilium fieri viſa, eos ad opprimendam plebem, plebem ad corripienda arma, unde bellum domeſticum conflatum, excitavit. Civitate itaque ſemper in partes diſtractâ, libertas in diſcrimen adduci cœpit, à Corſo tentata, à Carolo Duce Calabriæ delibata, à Gualthero Duce Athenienſium conculcata. Carolo fatis concedente, ſexta reipub. conſtitutio volentibus civibus facta, bino Senatorum ordine, Conſilio plebis, & Conſilio communi, è plebe & magnatibus lecto, inſtituto.

Sub quibus novæ turbarum faces, & in principes reip. conſpiratio: ac pugna in ipſa urbe, Maffæi interventu diremta. Septima formandæ civita-

tis ratio, poſt ejectum Ducem Athenienſium; urbe in quatuor claſſes tributâ, quibus ternos Principes præfecerunt, allectis octo conſiliariis, nobilitate in partem aſſumtâ. quæ iſta æqualitate non contenta, compoſita convellendo, rebus ad ſeditionem ſpectantibus, ut omni adminiſtratione deinceps excluderetur, perfecit. Submotis enim quatuor qui nobilium erant Conſiliariis, & Iuſtitiæ Gonfaloneno (ita vocant) revocato, populi ſedecim claſſibus totidem vexilliferi præfecti. Atque ita omnis in univerſum gubernatio in manus plebejorum tradita eſt.. Hæc fuerit mutatio civitatis formæ octava. Quo tempore cum magna rerum ad victum neceſſariarum penuriâ civitas laboraret, & plebem fames, ut fit, maximè premeret, invadendæ libertatis occaſio præſtò eſſe videbatur..

Quam ratus arripiendam Andreas Strozzius, æquiore pretio annonâ expoſita, confluente ad ædes ipſius ingenti civium multitudine, equum conſcendens populum ad arma convocavit, collectiſque quatuor hominum millibus, illorum comitatu fretus, ingreſſum in Palatium poſtu-

lavit.

lavit. Sed reip. principibus minis ac telorum jactu globum iſtum inconditum abſterrentibus, derelictus ab omnibus Strozzius, ægrè fugâ vitæ & ſaluti conſuluit. Ita quam temerè potentiam arreptum ivit, temerè amiſit. Cujus auſum quam eventum reliqui nobilium intuiti, ad ſpem premendi populum erecti, armis & munitione ſuas ædes, in terrorem circumdedére. Quo facto civium rabiem in ſe concitârunt, & quos armis perterrefacere voluerunt, armis induerunt, indignitate rei accenſos. Fracta itaque & oppreſſa in perpetuum nobilitas ampliſſimæ civitatis, abjecto armorum & eminendi ſtudio, ad paucitatem redacta, contemtior indies habita: ut aliquando præmii loco tribueretur, virum equeſtri loco in plebis claſſem recipi.

A plebe igitur,& plerunque infimâ, non ſpectato meriti, doctrinæ, cenſûs loco, magiſtratus & rectores; à plebe conſilia peti: aliquando & licenter & confusè omnia agi: veluti in navi, quæ nullo certo rectore ventorum ludibrio circumagitur, aut caſu quodam ſervanda, aut litori ſcopuliſve allidenda. Subvenire rebus deploratis

auſus

auſus eſt carminator quidam, Michaël Landonius nomine, Gonfaloneni munere fungens: qui aſſumto in honoris & oneris partes Salveſtro Medicæo, ad componendum reip. ſtatum ſe accingit, nec infeliciter rem collapſam reſtituit. Quod tamen ſalutare ſtatui creditum eſt, abjectæ ut conditionis homines à reipub. tractatione removerentur, id novis motibus non niſi cum libertate tollendis anſam dedit, populo in duas partes, popularem & plebejam, diſtracto. Qui enim è civibus opibus vel negotiatione non ſordidâ, aut eruditione & elegantiâ morum eminebant, æquo ſe jure cum cerdonibus cenſeri faſtidiebant; hi verò negligi ſe, & id participationis bonorum, reip., nobilitati communibus viribus extortæ, ſe prohiberi indignè ferebant. Ita civitati in partium jam partes divulſæ ſuccurrere ſtatuit, vir continentiæ & conſtantiæ laude inſignis, Verus Medicæus, ab obitu Salveſtri ejus familiæ facilè princeps. Sed majori laborabatur morbo, quàm ut ferri medicina hominis vulgarem virtutum modum non excedentis poſſet. Exortus eſt, tanquam ſalutare aliquod ſidus, Ioannes

nes Medicæus, Biccii cognomine; homo virtute non fucatâ, opulentiâ lautâ, favore civium eximio: & cui ad regnum nihil niſi voluntas deeſſet, publicæ utilitati privatis commodis poſthabitis, ſuis impenſis & periculis præſentia utcunque compoſuit: libertati tamen vel invitus gravis, ut in quem omnium civium oculi, omnium animi concurrerent. Ex hoc prognatus ille Ducatûs Florentiæ Sol Coſmus Medicæus, majoribus ſuis non dignus modò, ſed illuſtrior: niſi hoc ipſo ſuperatus ab iis dicatur, quod tantis animi & fortunæ bonis ad civilem dignitatis modum uti ſpreverit; ac illud Lucani in ſe receperit:

——— cum fata Camillis
Te, Cæſar, magniſque velint miſcere Metellis,
Ad Cinnas Marioſque venis?

Aut illud etiam Annæi noſtri in Hercule Furente:

——— proſperum ac felix ſcelus,
Virtus vocatur. Sontibus parent boni.
Ius eſt in armis: opprimit leges timor.

Alius etiam novitatem claritatis objiciens, nonniſi cives & mercatores proavos numeranti, ita eum de ſe loquentem

quentem ex eodem dramate introduxerit.

Non vetera patriæ jura poſſideo domus
Ignavus heres: nobiles non ſunt mihi
Avi, nec altùs inclytum titulis genus;
Sed cara virtus. Qui genus jactat ſuum,
Aliena laudat.

Verum enim verò nec armis & ſævitiâ introitum ad potentiam, ut Marius ille, fecit; & domi ſatis nobilis fuit, qui patrem, qui avum, abavumque, qui atavos benè de republica meritos longo ante ſe agmine progreſſos numeret.

Nec verò malè de patria ſua meritus eſt, feſſas diſcordiis civilibus reip. reliquias colligendo, inque tutelæ ſuæ ſinu fovendo. Nam ſi præeſſe hominibus in ipſorum ſalutem, tantò majus beneficium eſt, quantò difficilius cæteris animalibus homo imperio regitur: qui patriæ ſalutis incertæ, & ſeipſam immodico libertatis uſu conſumturæ, placidâ regendi manu ſuppetias tulerit, laudationi bonorum quam vituperationi propior eſt.

Verùm nos juſtitiam & titulum arripiendi imperii in medio relinquentes, quibus gradibus ad culmen honoris

honoris aſcenderit, quod proprium eſt noſtri inſtituti, contemplemur. Occaſionem rei audacter gerendæ habuit, nobilitatem à civium multitudine ita fractam, ut parum in eâ ad reſiſtendum vel virium eſſet, vel auctoritatis; populum in partes & partium membra, membrorumque articulos ſolutum; cives præterea omnes (ut Uzanus in oratione ad Barbadorium judicat) partim ignorantia, partim malitia, remp. venalem, tum fortunam eo uſque propitiam habentes, ut emtorem jam nacti eſſe viderentur. Ut mitius Uzani ſententiam interpretemur; tanta Coſmi, tum paternorum memoriâ meritorum, tum ſingulari ipſius genio, apud cives gratia fuit, ut qui nondum facultate, jam voluntate omnium princeps civitatis haberetur.

Ad hanc fortunæ inclinationem, quid ex ſe momenti appenderit, quamque eâ dextrè uſus ſit, operæ eſt videre.

Ingenio erat ſagaci, & ad perveſtigandas tractandaſque res nato: morum gravitate & opum largitate venerationem ſibi, liberalitate & erga quoſvis comitate amorem comparabat.

Auxit

Auxit utrumque magnificentia cœnobiorum templorumque, ſumtu ſuo inſtauratorum vel ex fundamento ductorum. Ædes præterea quibus habitavit, & palatia regia, opinionem illi majeſtatis civilem modum egreſſæ pepererunt. Ex quibus ne invidiam irritaret; modeſtia in colloquiis, civilitate in affinitatibus, humanitate in omni vivendi modo impetravit. Eruditos & ſcholas, theatrum laudum ſuarum, & magnum auſpicanti regnum in utramque partem momentum, ſingulari munificentiâ adjuvando ſuarum partium fecit. Ad plebis animos captandos nonnihil opis attulit corporis habitus mediocris, & adſpectus gratiâ temperati gravitas.

Inſtrumenta & quaſi ſubſidia dominationis habuit Everardum Medicæum & Puccium Pucci: quorum ille M. Agrippæ locum audaciâ; hic Mæcenatem prudentiâ repræſentabat. Inſidiæ in ipſum ſtructæ, & vincula, atque exſilium, quæ primis illum annis exceperunt, in id profuerunt, ut & majori civium miſeratione ac favore ex indignitate rei orto ſublevaretur; & juſtam pellendi adverſarios cauſam nactus, urbem ſentina malevolorum exhau-

exhauriret. Annuente igitur virtutibus fortunâ, fundamenta principatûs à Coſmo jacta ſunt : quibus nihil actum fuiſſet, niſi ſapientes exædificatores hæredes habuiſſet : Laurentium inprimis: nam Petrum ex morbo propera mors abſtulit. Poſteris deinde eorum proclive fuit, eam potentiam conſervare, quæ longinquitate temporis invidiam ſuperaverat, juſtæque opinionem dominationis in animis hominum fixerat : nec tam difficile fuit, rem cœptam ſequi, quàm ab initiis eam movere. Laurentius, altera ducatûs Florentini columna, in cæteris par fuit Coſmo, hoc uno diſpar : quod ille (Coſmus) animi eſſet altioris, hic tectioris, & ad evitandos inimicorum conatus cautioris; ille naturali duntaxat ingenii ſagacitate & rerum ſine doctrina uſu polleret, hic indolem felicem doctrinæ culturâ uberiorem redderet. In hoc quoque par utriuſque fortuna fuit : Ut Coſmum exſilium & vincula; ita Laurentium conjurationes potentiorem clarioremque reddiderunt. Nam ſatellitium à populo, quaſi præſidio contra factionum inſidias, impetravit : muniendæ ſine dubio potentiæ : & ob inimi-

inimicorum injurias regiè vindicatas, apud exteros Europæ Principes, & ipſum quoque Turcarum Imperatorem, exiſtimationem; apud ſuos, reverentiam; apud dubiæ fidei cives, metum paravit.

Hæc de Medicæorum adſcenſu, & reipub. Florentinæ mutatione: quam cum civitate Romana; illos cum Cæſaribus quodam adſpectu comparavimus.

Nunc ad verborum Taciti contextum recurrentes, ſi quid ſuperiori enarratione omiſſum eſt, Quæſtione unâ & alterâ recolligimus.

QUAESTIO I.

VTrùm potentia Cæſarea pro tyrannide ſit habenda?

Argumenta adſtruentia: ab Ortu, Medio & Fine, cum Cæſarum ipſorum, tum principatûs univerſi.

I. Ab ortu.

QUæ contra leges patrias partim vi, partim fraude, poteſtas invaditur, ea ſine dubio tyrannica eſt.

Cæſareæ poteſtatis origo ita ſe habet.

bet. Quod jam probandum. Divus ille Iulius, à quo plerique Monarchiæ Romanæ computant originem, ſpreto patriæ jure, & violatis legibus, largitione, corruptione ſervitiorum, bello denique patriæ illato, dominationem invaſit. Nec quicquam eum juvat, quod ſui abſentis in petendo conſulatu ratio habita non ſit; quod provincia decedere, exercitumque demittere juberetur. Nam qui patrium morem, qui leges valuiſſe queritur, is earum inimicum ſe profiteatur neceſſe eſt.

Iam ille inter Deos relatus, ille Patriæ Pater, Auguſtus, quibus fraudis vi munitæ machinis communem libertatem expugnaverit, abundè puto vidimus.

In univerſum conſideranti, ne populum quidem & rempub. ipſam ſui mutandi poteſtatem habuiſſe paret, jamolim ſponte in ſacramentum adactam, neminem unquam Romæ regnare paſſuram.

II. Ab Ordine.

QUi per ſævitiam optimum quemque vitâ privant, per avaritiam bonis

bonis civium inhiant, per prodigalitatem opes publicas dilapidant, per libidinem pudicitiam ſuam & alienam violant, per theatralem laſciviam populum enervant; qui arma eorumque uſum populo cum imperii dedecore adimunt; qui, ſpretâ majorum religione, ſibi cultum numinum arripiunt: ii pro tyrannis nec dubiè habendi ſunt.

At qui tales fuére plerique Cæſarum. Quod ex illorum Vitis apparet.

De crudelitate, maximâ Tyrannidis incuſatione, Iulii, in brevitate imperii ejus, pauca exempla exſtant.

Ipſam victoriam, ut Cicero loquitur, vicit:nec gladium vaginâ vacuum devicto Pompejo in urbe cives viderunt. Sed & Nero ſingulare clementiæ ſpecimen fuit in novo principatu: & arrogantia Iulii non ferenda, quæ in eo mox erupit, crudelitatem habitura comitem videbatur, niſi à conjuratis maturata cædes fuiſſet.

Largitione, quam liberalitatem falsò nominabat, omnes antegreſſus eſt: cujus citò exſiccatis fontibus, ad rapinas eundum erat. Impudicitiam & libidinem ejus notavit, qui omnium mulierum virum, & omnium

virorum

virorum mulierem appellavit. Atque is, Tranquillo ſi modò fides, cinœdus & adulter, ampliora humano faſtigio accepit; templa, aras, flaminem, Lupercos. Auguſti poſt victoriam Actiacam flexam in moderationem acerbitatem deprædicant. *Ego verò clementiam non voco, laſſam crudelitatem.* Clementia vera eſt, *quæ non ſævitiæ pœnitentia cœpit, nullam habere maculam, nunquam civilem ſanguinem fudiſſe.* Seneca lib. 1. de Clementia, cap. 11. Atque ea ipſa clarorum virorum cæde lutulenta fluxit; Egnatiorum, Varronum, Iulorum.

Tributorum ſub eo onera publicis neceſſitatibus attribuere potuerimus. Verùm quid opus fuit, tantum publico ſtipendio exercitum, viginti legionum, præter urbanam cuſtodiam & claſſes Miſeni & Ravennæ, alere pace undique reportatâ? difficillimis civium rebus, immodico ædificiorum ornatu urbem innovare?

Tyrannicum auſum & illa ſapiunt: abducta Neroni uxor Druſilla; virorum illuſtrium filiæ & uxores ad ſtupra & adulteria raptæ; erepti diis honores, *cum ſe templis & effigie numinum, per flamines & ſacerdotes coli vellet.* Ut vulgus non inane loquax apud Tacitum

diſſerit: 1. annal. Triſtem ſub Tiberio Urbis faciem, delationum & ſuppliciorum fervore cadaveroſam, neceſſitati ſtabiliendi imperii transmittentes, ut non malum publicum loquuntur Arcanorum diſquiſitores. Non quæro, an tanti fuerit, imperii novam formam contra veteres mores munire: neceſſitatem ſæviendi abſuiſſe nego. *Mori volentibus vis adhibita vivendi. Nam mortem adeò leve ſupplicium putabat, ut cum audiſſet unum è reis, Carnulium nomine, anticipaſſe eam, exclamaverit: Carnulius me evaſit.* Sueton. in Tib. cap. 61. Quæ verba non ſunt vitam adverſarii potentis & inſidias metuentis; ſed potius miſeriâ civium ſe paſcentis, ut Atreus in fabulis:

Perimat tyrannus lenis; in regno meo
Mors impetratur. ————

Et Lycus, qui Thebanorum regnum nullo juris titulo arreptum, pro lubitu geſſit:

Qui morte cunctos luere ſupplicium jubet,
Neſcit tyrannus eſſe. Diverſa irroga:
Miſerum veta perire; felicem jube. Herc. fur.

Spintrias & cætera libidinum monſtra: ut & inceſtus Caligulæ; nuptias cum

cum viris Neronis referre pudet. Nam Claudii matrimonium cum Agrippinâ ſunt qui jure Majeſtatis defendant. Iam quantum Caligulæ & Neronis immanitas omnia Tyrannorum facinora egreſſa ſit, rem etiam pueris de trivio notam omitto. Nec Domitiani, Heliogabali, Maximini, & reliquorum vitam inquiro. Non enim à Cæſarum familia, ut fundatrice hujus Imperii, recedere libet. Quorum eam fuiſſe magnitudinem, ut illorum beneficio terrarum orbi Romanus jam par eſſe cœperit, quibus ita viſum, judicent. Ego ſub iis ſtetiſſe Romanorum incrementum; deinde paulatim decreviſſe, donec præcipiti caſu rueret, autumo.

Gallias enim Iulius adjecit nondum Monarcha, & ut unus è civibus. Auguſtus Lollianâ & Varianâ clade à Germanis admonitus, cuſtodire fines imperii ſatis eſſe ratus, moriturus conſilium dedit, *coërcendi intra terminos imperii: incertum metu, an per invidiam.* 1. annal. Tiberius urbanæ ſervituti unice incumbens, & gloriæ legatorum invidens, amplitudinem imperii imminui, ſuſque deque habuit. Caligula ille in caſtris natus, & in ſpem

domandæ, Germaniæ educatus, de Cochleis, germanis Oceani liberis, triumphum egit. Nero ſtrenuos belli duces, & victoriarum curſu revocandâque militiæ diſciplinâ claros, per Armeniam Corbulonem, per Britanniam Paulum Suetonium, revocatos inhibuit. Nec negligentiâ modò in univerſum civitatis Romanæ decus peccatum: quæſita quæ interitum maturarent. Caligula unam cervicem populo Romano precatus eſt, uno ictu reſecandam.

Claudius civitatem Romanam & Senatoriam dignitatem nationibus patefecit, promiſcuamque faciendo honoris expertem reddidit. Nero urbem ipſam incendit; abactis qui ad reſtinguendum accurrerent.

III. Abeventu.

VT ingreſſum & veſtigia; ita & tyrannide dignum exitum habuerunt, tum ipſi regnantes, tum eorum vitio tractum Imperium Romanum. Iulius Cæſar 23. plagis in ipſa curia confoſſus, Regni hæredem ex ſe genitum non habuit. Auguſtus Nolæ non ſine veneni ſuſpicione extinctus,

ſtinctus, privigno ſuo res tanto ſudore partas reliquit. Tiberius veſtis multæ injectu ſuffocatus, Germanici, quem oderat, filium ſucceſſorem habuit. Caligulæ, apertâ eorum, quos contumeliis affecerat, vi jugulato, ſuffectus eſt is, quem ludibrium aulæ ſuæ habuerat.

Claudius boleti morſu ſublatus, parricidæ ſuo & liberorum ſuorum habenas Imperii tradidit. Nerone conſenſu omnium ordinum ad mortem adacto, imperii gloria ad gentem Flaviam, à Cæſarum domo planè devoluta, tranſiit; ibique parumper morata, ad alienigenas, & ne Italicæ quidem originis, lapſa eſt. Qui eam altiùs aliquantulum evexerunt, in id, ut inſequentium culpa variè lacerata, graviori caſu rueret. Nunc jacet, & præter nomen ac umbram vix quicquam habet reliqui: in varia regna & civitates unitate illius divulſa.

Supereſſe tamen etiamnum creditur: nec ubi ſit, aut à quo, aut qua formâ Imperii regatur, noſcitur.

Multorum opinione ſummus Germanorum arbiter, idem Imperii Romani hæres ac Dominus. Supremus Eccleſiæ Romanæ Præſul aliorum

animis hæret, ac ſedes urbis æternæ, è ruderibus toties excitatæ. Eorum verò, qui Orientem colunt, perſuaſione, Turcarum Imperator dignior Auguſti nomine fertur: ut qui Bizantium ſedem Imperatorum tertium jam ſeculum quietus teneat, maximamque Imperii Romani partem poſſeſſione complectatur. Quo nomine elatus, Auſtriacum & cæteros Chriſtiani orbis Principes à ſua tutelâ pendere, ne publicis quidem legationibus & edictis jactare erubeſcit. Ita diverſis Orbis rectoribus diverſo titulo hæreditas & ſplendor nominis Romani, ſuo & aliorum judicio, tribuitur. Quibus & Galli antiquis, & Hiſpani recentibus de cauſſis, utrique non ineptis, ſeſe inſerunt. Ad hunc Romanum Imperium, rectorum negligentiâ & culpâ, ſtatum pervenit, ut ubi locorum quærendum ſit, difficile ſit expeditu.

Argumenta diruentia.

I.

QUibus fato Urbis & jure meritoque ſuo debebatur imperium; ii

ii non ſunt Titulo Tyranni. Cæſaribus, &c. Probatur.

In fatis fuit Urbi unius regimen; & genio ſuo eò trahebatur. Vide quæ initiò operis è verbis Taciti eruta diſſeruimus. Quod ſi igitur urbis adminiſtratio ad reges, unde exciderat, reverti debebat; nullus Cæſari anteferendus, ut qui ab antiquiſſima regum ſtirpe ſit procreatus. Sic enim de ſe ipſe & genere ſuo, etiamnùm quæſtor, pro roſtris, populo nec abnuente, nec ad aſſentiendum Imperii neceſſitate adacto: *Amitæ meæ Iuliæ maternum genus à regibus ortum; paternum cum Diis immortalibus conjunctum eſt. Nam ab Anco Marcio ſunt Marcii reges, quo nomine fuit mater: à Venere Iulii, cujus gentis familia eſt noſtra. Eſt ergo in genere & ſanctitas Regum, qui plurimùm inter homines pollent; & cerimonia Deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt Reges.* Sueton. in Cæſ. cap. 6. Sanè Iulium dici voluiſſe ab Iulo, Æneæ filio, etiam impuberes è Virgilio ſuo nôrunt.

Præterea eò jam res redierat, certaminibus potentium, & libertate venum expoſitâ, ut unius regimen evitari non poſſet. Nec dignior quiſquàm eo faſtigio, nec magis vo-

tis expetendus, quàm Cæſar.

Acre enim ejus ingenium, eruditio ſublimis, vigor animi incredibilis, favor militum & populi ſingularis; clementia præterea & liberalitas in omne genus hominum parem non habebat. Vel Ciceronis epiſtolis, ad intimum ſuum ſecretò ſcriptis, crede; quibus Cæſarem cum amico ſuo Pompejo contendit.

Quod ſi Iulii cauſſa vitioſa non eſt, de Auguſti hæreditatem adeuntis & paternas injurias perſequentis æquitate cauſſæ dubitandum non eſt. Sin & maculæ quid attritum fuit conatui Iuliano, Auguſtus, qui ſumma omnium ordinum voluntate feſſas patriæ res ſuſcepit, ea non inquinatur. Quo decedente, Tiberius nullo armorum terrore, precibus etiam & obteſtationibus Patrum, ad Imperii clavum tractus eſt. Quæ preces imperium offerentium, ſive ſimulatæ fuerint, ſive ſeriæ, juſtitiæ cauſſæ nihil demunt. In Cajo verò Caligula adſciſcendo ſimulatio Patrum nulla fuit. *Statim conſenſu Senatûs, & irrumpentis in Curiam turbæ, irritâ Tiberii voluntate, qui teſtamento alterum nepotem ſuum prætextatum adhuc cohæredem ei dederat, jus arbitriumque*

omnium

omnium rerum illi permiſſum eſt: tantâ publica lætitiâ, ut tribus proximis menſibus, ac ne totis quidem, ſupra centum ſexaginta millia victimarum cæſa tradantur. Sueton. in Calig. cap. 14.

II.

QUi non ruinam imperii, nec ſolam utilitatem ſuam, ſed decus, amplitudinem, ſalutem civium, Urbis, gentium imperio adjunctarum propoſitam habuerunt; ii famoſo tyrannorum nomine non ſunt adſpergendi. Cæſares, &c. Probatur.

Ius laborioſiſſimè dixerunt, ſublato qui per gratiam invaluerat, ambitu: arma externa temere non provocarunt, tuendi quàm aleæ exponendi imperii cupidiores: ſimultates inter cives & provinciales; nobiles & plebejos, æquato proportione Geometrica omnium jure, ſuſtulerunt: ſeditioſos cives primâ in herba oppreſſerunt: &c. Singulorum egregia pro repub. facinora, quantum memoria curſim ſcribenti advocata ſuppetit, perluſtremus. Iulius cum victoriæ ac belli jure Ordinem ſibi ſuſpectum tollere poſſet: *Senatum ſupplevit, Patricios allegit; Prætorum, Ædilium, Quæſtorum,*

 mino-

minorum etiam magiſtratuum numerum amplíavit. Sueton. in Iul. Cæſ. cap. 41.

Atque ut, pro numero magiſtratuum, numerus etiam civium creſceret, viros in quacunque arte egregios Romam allectos, civitate donavit. Sed nè eſſet confuſa hominum multitudò, leges & ſedulò excudit & ſeverè exercuit: præſertim ſumptuariam: cùm tyrannorum ſit, luxui civium favere, quò & opibus citiùs exhauriantur, & voluptatibus retuſi animo & ingenio vileſcant; déque corpore ſuo farciendo aut tegendo ſolliciti, publicarum curam rerum transadigant. *Iam de ornanda inſtruendâque urbe; item de tuendo ampliandoque imperio, plura ac majora in dies deſtinabat.* Sueton. cap. 44.

In Parthos maximè intentus, æmulos & ἀντιτέχνους Imperii. Quæ ſi feliciter expeditio ceſſiſſet, totus procul dubio Oriens colla Romano jugo ſubdidiſſet. Taceo cætera ſalutari remedio ab ipſo perfecta vel cogitata: ut faſtorum correctionem, quibus hodieque utimur, verùm per intercalandi negligentiam nonnihil turbatis; juris civilis ad certum modum redactionem (quod magno cum dolore virorum, qui volumen legum rotun-

dius

dius deſiderant, omiſſum) Bibliothecarum publicationem : & alia, quæ ſi fruſtra ab eo cogitata ſunt, infauſtæ τυραννοκτονίᾳ Caſſii & Bruti accepta referenda.

Auguſtus, quem Patrem Patriæ ſincera Patrum voluntas, non ficta Paraſitorum adulatio ſalutavit, plura pro ſalute & honore civium invenit, aut reduxit. Omnique modo allaboravit, ut, quod vir prudens in moderatore reip. requirit, opibus firmam, copiis locupletem, gloriâ amplam, virtute honeſtam civitatem decedens relinqueret. Diligentem in deſcribendis opibus publicis Patremfamiliâs egit, conſcripto rationario imperii ſua manu : *quantum civium ſociorumque in armis; quot claſſes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, & neceſſitates aut largitiones*, Tacit. 1. annal. Excubitoris munia ſuſcepit, limites imperii contra incurſationem Barbarorum; urbem ipſam contra incendia, inundationes, graſſationes nocturnas muniens. Annonæ præterea curam ſingulari vigilantiâ ſuſcepit : ut vacua Italia cultoribus, immenſa hominum multitudo, quam Roma vix cepit, fame non urgeretur. Urbem ipſam magnificè adeò exco-

luit, deſcriptam à ſe in certas regiones & vicos, ut quam lateritiam accepe-rat, marmoream relinqueret: ut ipſe gloriam non ſine ratione ſolitus eſt, ſignificans & firmitudinem imperii quàm antè certiorem, & tecta urbis ac mœnia magnificentiora. Ut autem ſcires, æternitati eum civitatis conſulere, inter alias leges urbi ſalutares eam de maritandis ordinibus magno ſtudio ſanctam fovit; pœnas cælibatui, præmia conjugio intendens.

Civitatis Romanæ honorem ne vulgaret, ægrè quenquam tributariorum eâ donavit; immunitatem promtiùs largitus: ut & modeſtiâ apud ſocios clareſceret, & civium jus non imminueret. Iam clementia erga reos, aut à quibus offenſus ipſe erat, pænè divina fuit: contumelias ſuas nulla crudelitate exſequutus; probroſis in ſe dictis & ſcriptis arridens; aut ſi excandeſceret, verba verbis retorquens. Vide Senecam lib. 1. de Clementia. Hanc tantam animi in ſumma fortuna moderationem; tam ſolicitam pro civibus vigilantiam; tantam ſanguinis humani parcimoniam, Tyrannidis infami nomine nemo, niſi judicia ac mente ſcævus, affricuerit. Fundatam igitur

igitur à mitiſſimis Principibus, neceſſitate civium & ſociorum exſpectatione exigente, Monarchiam ſuo, quod conſenſu gentium retulit, nomine ſalutemus. Quod ſi unus aut alter tantam fortunam non ferent, & applauſu nimio dementatus, rupto pudoris & humanitatis clauſtro, in ſuum dedecus & civium nonnullorum perniciem, ut fera vinculis laxata, proſiliit: ſuam ſolus ignominiam ferat; ſtatûs appellationem non mutet.

Quorum immanitatis nos ipſi ſæpè auctores ſumus: vel quod irritavimus eam, vel quod laxavimus. Tiberius vultu & moribus triſtioribus, & arrogantiam loquentibus, minùs gratus erat vulgo hominum, comitatem deſideranti, veras imperatorias virtutes parcè expendenti. Inde ingrata quæ fecit omnia, & probroſa ſine modo & ratione dicteria, virùm famæ benignioris avidum exaſperavére. Propenſus etiam in Germanicum favor, nimiuſque in defunctum planctus, Imperatore vigente & integrâ ejus domo, diffidentiam ejus auxit; iracundiam incendit.

Nero, immodico hominum plauſu ſolutus, cautè primum ac timidè peccavit;

cavit; ſenatûs populique cenſuram metuens. Verùm ubi omnia ſcelera pro magnificis accipi vidit, nullam flagitiis latebram quærit; propalàm ac in oculis hominum ſeſe inquinando. Fors fuerit & fides nonnullibi ſcriptorum vacillat, odio erga eos, quorum ipſi in poteſtate. Quod novum non eſt, aut inuſitatum.

Simul iſta mundi conditor poſuit Deus,
Odium atque regnum: ait autor Thebaidos.

Quod, ſi injuſtum, ſpernendum imperanti: diſcatque ſermonem popularem floccifacere, ſi eum rectè factis vertere non poſſit. Ab injuſto Rege, ſed in tempore verum, prolatum illud; Herc. fur.

Ars prima Regni eſt, poſſe te invidiam pati.

De quo non hero etiam æquiſſimo ſervi malè exiſtimant? quem non Præceptorem diſcipuli petulantiores ſiniſtro rumore differunt? Et Princeps à multitudinis, in qua plurimi mali, linguâ, quo minùs eâ vapulet, immunis eſſe poſtulet? Atqui ex rumore publico plerunque Hiſtoria, etiam à fidei obſervantiſſimis, conſcribitur.

Sanè

Sanè Parthi, Reges ſuos humanitatem à Principe Romano addiſcere, gaudere ſe publicâ legatione teſtati ſunt. *Ideò regum obſides liberos dari, ut ſi domeſtici imperii tædeat, ſit regreſſus ad principem patreſque, quorum moribus aſſuefactus rex melior adſciſceretur.* Tacit. lib. 12. annal. Ubi eoſdem de Gotarre, quem regem hactenus toleraverant, querentes audias: *dominationem Gotarris nobilitati plebique juxtà intolerandam. Iam fratres, jam propinquos, jam longius ſitos, cædibus exhauſtos: adjici conjuges gravidas, liberos parvos; dum ſecors domi, bellis infauſtus, ignaviam ſævitiâ tegat.*

Multorum id regum, ad Orientem inprimis, vitium fuit; ut, cum apud ſuos amorem, apud hoſtes terrorem quærere deberent, hoſtibus irriſui; ſuis metuendi eſſent.

Nero tamen egregiâ apud Parthos famâ fuit, ſuique memoriam apud illam gentem celeberrimam reliquit. Vide, præter Dionem, Tacitum lib. annal. 15. Suetonium in Nerone ſub finem. A matris cæde, quæ maximè ſcelera ejus cætera producit, etſi excuſari nullâ ratione poſſit: ſpecie tamen quadam inductus eſt juſtitiæ, & neceſſitatis; & (ut Dio tradidit, nec

Tacitus

Tacitus refellit,) Senecæ impulſu Burrhique, virorum apud populum auctoritate, apud principem gratiâ maximorum: quaſi publicæ civium tranquillitatis, privatæque Imperatoris ſecuritatis intereſſet, mulierem ambitione & crudelitate nimiam removiſſe. Quo perpetrato parricidio, ſive mente furore alienatâ, ſive favore & gratulatione publicâ, fortunæque indulgentiâ ebrius, eò prorupit, ut nec dedecori ſuo, nec injuriæ civium illuſtrium, modum poneret.

III.

NUlla tyrannorum ſtabilita potentia eſt: Cæſarum potentia ſtabilita permanſit. Ergo tyrannica non eſt: prætereæ tyrannos everſos publicè lætamur. Iulium occiſum populus, matronæ, exteri luxerunt. Denique tyrannos impunè ſuſtuleris: ut fert communis opinio. Iulii mors & publicâ belli civilis calamitate, & ſingulorum percuſſorum miſerabili interitu, vindicata eſt. Quod igitur imperium bonâ cauſſa ortum, bono civium geſtum, eventu comprobatum eſt; pro legitimo abſque dubio eſt habendum, nec in demonſtrandâ tyrannide laborandum.

De-

Deciditur.

CUm vias & cuniculos, quibus primi Monarchiæ Romanæ fundatores ad faſtigium erepſerunt; cùm flagitia aulæ & immania quorundam facta per ſe intuemur; à tyrannide ne latum quidem unguem potentiam Cæſaream abfuiſſe, cum graviſſimis Romanæ Hiſtoriæ ſcriptoribus judicamus. Cum verò ad arcana Dei conſilia; cum ad populi, militum, provinciarum conſenſum, Patrum vel invitorum aſſenſum; cum ad eventum ſtabilitæ, & tot per ſecula per manus traditæ Monarchiæ, oculos reflectimus: ut de tantis rebus ſobriùs & ſentiamus, & loquamur, permovemur.

Placuit DEO ſapientiſſimo, popularis imperii licentiam injecto principatûs quaſi capiſtro refrenare, & ſervitutem, qua ſociis gentibus illuſerant, in auctores vertere, extortâ è manibus, qua in ſuàm & nationum perniciem uſuri erant, libertate. Nec verò indignum erat, eos qui provinciarum immunitates calcaverant; qui captis bello aut ære mancipatis hominibus, quos abjecto manſuetiori Familiæ nomine ſervos & mancipia nomi-

nominabant, domi quiſque ſuæ quaſi jumentis abutebantur; ſuperba & ipſos imperia experiri. Idque reipublicæ nomine in ludibrium & ſimulacris antiquitatis permanentibus: quemadmodum & ipſi, ſocietatis & federis nomine, jugo ſatis duro colla ſubjectorum preſſerant. Ad Deum igitur tantæ mutationis autorem recurrendum eſt, qui & provinciis afflictis opem, & Senatui Romano modeſtiam, & Urbi ipſi quietem reducere voluit.

Nec verò nullo titulo Imperium invaſiſſe putandum eſt, quos populus militibus conſentiens, quos provinciæ imperare flagitarunt; in quorum verba Coss. & Patres primi omnium jurarunt. Coss. *primi in verba Tiberii juravere: apudque eos Sejus Strabo, & C. Turranius; ille pretoriarum cohortium præfectus, hic annonæ: mox ſenatus, milesque & populus.* Tac. I. annal. Idem cæteris obtigiſſe Principibus, colligas: & obedientiam jurejurando ſanctam facto nefariè temeratam. Qui libertati & priſcis moribus patrocinantur, metu extorta ea juramenta fuiſſe dicent. Fateantur igitur ſervitutem, qui metum non abnuunt; quem

quem animus verè liber neſcit, aut perrumpit. Ut taceam fidem quomodocunque datam, nedum juramento confirmatam, eſſe obſervandam: quicquid novi L L. interpretes diſtinguant.

Fidem aut non dandam eſſe; aut datam obſervandam, cum integritate morum convenire, virumque conſtantem decere, ratio nulli affectuum ne dum metui, cedens dictitat. Legitimus igitur Cæſarum principatus; & ob eas, quas diximus, cauſſas, & quia Chriſti ac Apoſtolorum approbatione conſecratus eſt. Cenſum Cæſari reddendum, qui tunc Tiberius erat, Sapientia noſtra jubet: Math. 22. verſ. 21. Ipſe cum diſcipulis promtè, ad evitandum ſcandulum, pendit: Math. 17. verſ. 27. Coram Pilato, Iudææ Procuratore, Imperatoris vicario, judicio ſe ſiſtit, poteſtatemque judicandi ſupernè illi datam fatetur; Iohan. 9. verſ. 11. Paulus Apoſtolus, civitate Romanus, juriſdictioni Cæſareæ ſe ſubeſſe profatus, Cæſarem appellat: Act. 25. verſ. 10. 11. Romanos ipſos poteſtati ſupremæ, ut à Deo ordinatæ, ſubjectos eſſe monet: Rom. 13. Uſus voce ὑπερε-

χούσαι:

nominabant, domi quiſque ſuæ quaſi jumentis abutebantur; ſuperba & ipſos imperia experiri. Idque reipublicæ nomine in ludibrium & ſimulacris antiquitatis permanentibus: quemadmodum & ipſi, ſocietatis & federis nomine, jugo ſatis duro colla ſubjectorum preſſerant. Ad Deum igitur tantæ mutationis autorem recurrendum eſt, qui & provinciis afflictis opem, & Senatui Romano modeſtiam, & Urbi ipſi quietem reducere voluit.

Nec verò nullo titulo Imperium invaſiſſe putandum eſt, quos populus militibus conſentiens, quos provinciæ imperare flagitarunt; in quorum verba Coss. & Patres primi omnium jurarunt. Coss. *primi in verba Tiberii juravere: apudque eos Sejus Strabo, & C. Turranius; ille prætoriarum cohortium præfectus, hic annonæ: mox ſenatus, mileſque & populus.* Tac. I. annal. Idem cæteris obtigiſſe Principibus, colligas: & obedientiam jurejurando ſanctam facto nefariè temeratam. Qui libertati & priſcis moribus patrocinantur, metu extorta ea juramenta fuiſſe dicent. Fateantur igitur ſervitutem, qui metum non abnuunt;

quem

quem animus verè liber neſcit, aut perrumpit. Ut taceam fidem quomodocunque datam, nedum juramento confirmatam, eſſe obſervandam; quicquid novi L L. interpretes diſtinguant.

Fidem aut non dandam eſſe; aut datam obſervandam, cum integritate morum convenire, virumque conſtantem decere, ratio nulli affectuum ne dum metui, cedens dictitat. Legitimus igitur Cæſarum principatus; & ob eas, quas diximus, cauſſas, & quia Chriſti ac Apoſtolorum approbatione conſecratus eſt. Cenſum Cæſari reddendum, qui tunc Tiberius erat, Sapientia noſtra jubet: Math. 22. verſ. 21. Ipſe cum diſcipulis promtè, ad evitandum ſcandulum, pendit: Math. 17. verſ. 27. Coram Pilato, Iudææ Procuratore, Imperatoris vicario, judicio ſe ſiſtit, poteſtatemque judicandi ſupernè illi datam fatetur; Iohan. 9. verſ. 11. Paulus Apoſtolus, civitate Romanus, juriſdictioni Cæſareæ ſe ſubeſſe profatus, Cæſarem appellat: Act. 25. verſ. 10. 11. Romanos ipſos poteſtati ſupremæ, ut à Deo ordinatæ, ſubjectos eſſe monet: Rom. 13. Uſus voce ὑπερε-

χουσῶν:

χουσῶν: quam regi tribuit Petrus: 1 Petr.2. verſ. 13. Qui & ipſe per βασιλέα ὑπερέχοντα, cui obediendum eſſe hortatur, non alium quàm Imperatorem Romanum intelligit. Id quod & vis vocis indicat, & ſequentia de præſidibus à rege miſſis. Eâ enim tempeſtate nullus regum, præter Cæſarem, & Parthorum Regem, qui Mediæ fortè rectores dabat, præſides in provincias mittebat. Græci ſcriptores Imperatorem tam αὐτοκράτορα, quàm βασιλέα appellare, paſſim in more habent. Ita Iudæorum ore Euangeliſta: Οὐκ ἔχομεν βασιλέα εἰ μὴ καίσαρα: Iohan. 19. verſ. 15. Quibus ex omnibus elicitur, Imperatores Romanos pro tyrannis, & injuſtis Imperii uſurpatoribus, non eſſe habendos. Quod ipſum confirmatur ex imperii illius, quod nulla conjuratorum vis labefactare potuit, in multa ſecula propagatione: quæ fatalem adfuiſſe mutationis periodum teſtatur. Quanquam enim Deum nec aſtris, nec Pythagoræo quingentorum annorum numero, alligamus: tamen in ejus manu regna poſita, pro ſancto arbitrio diſpenſari, cum Daniele Propheta piè credimus. Calcatâ igitur ſub

Cæſarum pedes libertate, longâ ſuccedentium ſerie; felicitate factum illorum comitante juſtitiâ comprobatur.

Nam ſi privatis in rebus jure Romano uſucapio & longi temporis præſcriptio, juxta poſſeſſorem pronunciare valet: in rerumpublicarum gubernatione, ad quam peculiari curâ DEUS accedit, idem juris denegetur? Cur igitur ſub eorum imperio vis Romana imminuta, lapſa, diruta? quia nihil rerum mortalium perpetuum. Regna omnia & civitates olim celebres perluſtra: nullam eo, quo ſteterat, loco inveneris, vetuſtate ipſâ collapſas.

——— licet arma vacent,
Ceſſentque doli; ſidunt ipſo
Pondera magna, ceditque oneri
Fortuna ſuo.

Ut præclarè Seneca Tragicus, Agam. act. 1. Nec inſipidè in eandem ſententiam, illo ipſo loco:

Quicquid in altum fortuna tulit,
Ruitura levat.

QUÆ-

QUAESTIO II.

QUas ob caussas provinciis imperium Senatûs populique ſuſpectum fuerit?

Pleraſque ſuprà jam enodavimus: quibus has majoris lucis gratiâ addimus. 1. Qui cum imperio in provincias mittebantur, quærebant omni modo bellorum, & ex bellis triumphi vel ſpoliorum, cauſſas: quâ ſub Cæſaribus ambitionis gloriâ ſublatâ, pacatiùs provinciæ regebantur. 2. A Senatu ſingulis ferè annis novi præſides mittebantur, novi bonorum & ſanguinis provincialium hirudines: à Cæſaribus autem in quinquennium, nonnunquam etiam ad finem vitæ, provinciæ adminiſtrandæ erogabantur. 3. A Senatu ſorte mittebantur, quæ bonos malósve non diſcernit: à Cæſare judicio electi dabantur, non tantùm ſuffecturi negotiis, verùm etiam ſpectatæ integritatis & abſtinentiæ viri. 4. In populi provincias, Cæſare jam rerum potiente, PROCOSS. mittebantur, majori cum poteſtate & pompa: in Cæſaris, Legati Proprætores, vel, ſi minores eſſent, Procuratores. Fractis jam Senatûs

natûs populique animis, etſi triumphandi ſeges demeſſa eſſet, manſiſſe tamen veteris arrogantiæ & avaritiæ veſtigia, à vero non abhorret. Quare provinciæ Proconſulares magni beneficii loco accipiebant, ſi Cæſaris in ſortem tranſirent. Tacitus id docuerit, lib. I. annal. *Achaiam ac Macedoniam onera deprecantes, levari in præſens proconſulari imperio, tradique Cæſari placuit.* Leviùs igitur proconſulari imperio procuratorium & præſidiale. Sed & in ipſis proconſularibus provinciis, majores adverſum cives Romanos ſumſerant ſpiritus indigenæ loci, ſubjecto Cæſaribus populo, quàm olim liberâ republica, ſibi verè ſervili. Thraſeæ, ſenatoris in curia Neronis graviſſimi, libera querela huc fecerit: *Olim quidem non modò prætor aut Conſul, ſed privati etiam mittebantur, qui provincias viſerent, & quid de cujuſque obſequio videretur, referrent; trepidabantque gentes de æſtimatione ſingulorum. At nunc colimus externos, & adulamur, & quomodo ad nutum alicujus grates, ita promtiùs accuſatio decernitur.* Lib. 15. Annal. Iſta è viri in ſumma ſervitute liberi, ſed libertatem alienam non ferentis, oratione.

Cæterùm Auguſtus ſubſidia do- „
mina-

„ minationi Claudium Marcellum,
„ ſororis filium admodùm adoleſcen-
„ tem, Pontificatu & curuli Ædili-
„ tate; M. Agrippam ignobilem loco,
„ bonum militiæ & victoriæ ſocium,
„ geminatis conſulatibus extulit;
„ mox defuncto Marcello, generum
„ ſumſit: Tiberium Neronem, &
„ Claudium Druſum privignos, im-
„ peratoriis nominibus auxit, integra
„ etiam dum domo ſuâ. Nam genitos
„ Agrippa, Cajum ac Lucium, in
„ familiam Cæſarum induxerat: nec
„ dum poſita puerili prætextâ Princi-
„ pes juventutis appellari, deſtinare
„ conſules, ſpecie recuſantis flagran-
„ tiſſimè cupiverat. Ut Agrippa vitâ
„ conceſſit; L. Cæſarem euntem ad
„ Hiſpanienſes exercitus, Cajum re-
„ meantem Armeniâ, & vulnere in-
„ validum, mors fato propera, vel
„ novercæ Liviæ dolus abſtulit; Dru-
„ ſoque pridem exſtincto, Nero ſolus
„ è privignis erat; illuc cuncta ver-
„ gere. Filius, collega imperii, conſors
„ Tribunitiæ poteſtatis aſſumitur,
„ omniſque per exercitus oſtentatur:
„ non obſcuris, ut antea, matris arti-
„ bus, ſed palàm hortatu. Nam ſenem
„ Auguſtum devinxerat adeò, uti
„ nepotem

nepotem unicum Agrippam Poſtu- ,,
mum in inſulam Planaſiam projice- ,,
ret: rudem ſanè bonarum artium, & ,,
robore corporis ſtolidè ferocem, ,,
nullius tamen flagitii compertum. ,,
At hercule Germanicum Druſo or- ,,
tum octo apud Rhenum legionibus ,,
impoſuit, adſciriquc per adoptio- ,,
nem à Tiberio juſſit, quanquam ,,
eſſet in domo Tiberii filius juvenis, ,,
ſed quò pluribus munimentis inſi- ,,
ſteret. ,,

Imperium aliquod aut quemcunque ſtatum qui formaverit,nec de ſtabiliendo ſedulò cogitaverit, aſſimulari potuerit volucri, ova quidem parienti, cæterùm nec excludenti parta, nec forte quadam excluſa foventi. Atqui ſi uſquam curâ, ſi prudentiâ, ſi labore opus eſt: in confirmando teneri principatûs robore, animis hominum parendi neſciis, excutiendus animi torpor eſt, & malè-fida credulitas deponenda. Antiquâ & ſeculorum maturitate adulta regna, ipſa vetuſtatis veneratione ſteterint: non item nova & recenti libertatis guſtu exacerbata. Cornelius, cui propoſitum pauca de Auguſto & extrema delibando, cæterorum principum acta

narrationis tela percurrere; numero arcta, ſed æſtimatione propendentia ſubſidia dominationis deſcribit. Nos & hæc examinabimus, & alia imperii munimenta, quibus ſe circumvallare novi Principes aſſolent, pro temporis & memoriæ noſtræ capacitate, eruemus. Ea cùm varii ſint cenſûs, nec omnes eodem honoris aut opprobrii gradu metienda, in tria claſſium genera ſegregabimus: *Licita*, quæ reprehenſionem ſapientum non incurrunt; *Flagitioſa*, quæ ab honeſtate & legibus recedunt; *Media*, quæ ad utraque inclinant, & pro vario hominum captu his aut illis applicantur. Nos ea ita diſpeſcemus, ut, non ſuperſtitioſâ Samii doctoris anxietate, ſed, quia ſe iſto adſpectu offerunt, ſingulis decurias ſingulas aſſignemus.

LICITA.

I.

OMni modo Princeps annitatur, ut hæres Imperii, & quidem ejuſdem ſpei plures, exſtent: ne in uno capite ſalus ejus & fundamenta vertantur: noverintque qui ſpei improbæ accinguntur, non cum uno omnia labefactari, nec deforo

ſore facinoris cœpti vel perpetrari ultorem. Sapienter nec pro ætate ſenem adoleſcens, Patrem filius admonet: *Non legiones, non claſſes, perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum.* Ideóque ſi naturales defuerint liberi maſculi, adoptione adſciſcendi, quod adminiculum ſenectutis jam deſpectæ Galba cogitavit; quod Nerva tempeſtiviori eóque feliciori conſilio invenit; aut filiæ conditione quærendi, quod ſalutare Auguſtus remedium adhibuit. Hos & honoribus ornare, & copiis militaribus maturè præficere, conſilii res eſt: quo & exercitui noſcantur, & auctoritatem apud cives acquirant, & præſidio militari ſe Principemque circumdent. Hoc animo Tiberius Druſum unicum filium ire ad exercitus Germanicos juſſit, ablegatum ab urbano luxu, & aſſiduitatis faſtidio, & populari licentiâ. Hoc conſilio Auguſtus Lucium & Cajum Cæſares nec poſita dum puerili prætextâ Principes juventutis nominatos, deſtinatos conſules, ad Hiſpanienſes alterum exercitus, alterum in Armeniam & res Orientis introſpiciendas miſit. Quibus longinquo itinere, dolo, vel corporis infirmitate,

enectis, privignos propioribus & validioribus ad Rhenum copiis præfecit, nullâ belli gerendi cupiditate, ſenex otii amantiſſimus, ſed ne ſuſceptionis illorum, & ſpei in quam educati fuerant, emolumento fruſtraretur. Incautior Auguſto Tiberius, Druſum filium citò à legionum curâ revocatum, unà cum nepotibus adultis, in civitatis umbra, laſciviâ diſſolvendos, & Sejani machinis opportunos tenuit.

Non domui modò ſuæ, ſed & reipublicæ, quæ ſtare jam ac librari ſine certo rectore non poteſt, fulcrum ea negligentia ſubtrahunt: ignari vel negligentes publicas vires ad ſe quemque tracturum, vel ſine gubernatore fluctuantes peſſum ituras. Non tam animosè quam, ut multa in temeraria illa felicitate, inconſultò *Alexander rogatus, quem hæredem faceret Imperii, reſpondit; digniſſimum: quà voce veluti bellicum inter amicos ceciniſſent, aut malum diſcordiæ immiſiſſet, ita omnes in æmulationem conſurgunt, & ambitione vulgi tacitum favorem militum quærunt:* ut eſt apud Pompeji Trogi abbreviatorem. Sit ante oculos C. Cæſar; quem liberorum orbum, præcipiti audaciâ armati æmuli, nec

ſine

ſine ſua publicæque rei clade, trucidarunt. Et alter ejus nominis, ſed ut vita immanior,ita exitio dignior, Caligula cognomine; quem deſtitutum liberorum ope jugulantes, parum abfuit, quin ad priſtinam libertatem revocarent reipubl. ſtatum milites cum ſenatoribus & puriori populi parte. Munienda igitur nova, quam populo invito tenes, Monarchia, liberorum numeroſa & adultâ ætate. Quorum ſi laboraveris penuriâ, & exteros adſcire in laborum tuorum fructum piguerit, proximum eſt ad fratres, ad parentes, ad propinquos refugium. Non magis ſcelératè quàm improvidè Nero, interfecto Britannico Agrippinam matrem, & mox Octaviam adjecit; Senecam quoque & Burrhum, quorum favore & adeptus principatum erat & tolerabatur; ſublaturus. Ut nimirum latere ſubſidiis aulæ nudato, deſciſcentium & undique in ſe ruentium ictibus pateret. Nec impunè Turcarum Imperator, niſi gentium orientalium ingenio & temporis diuturnitate ſervitus roborata eſſet,primo imperii die fratres & agnatos ad cædem poſceret. Cujus farinæ eſt & illa Maurorum partis (Ormus appellatur)

regum præpoſtera calliditas, propinquos olim excæcantium, jamque illa, credo, occaſione in Luſitanorum manus relapſorum. Proximo ab illa immanitate gradu eſt concluſio ſuorum in montes altitudine & difficultate exitus præruptos, ab hominum omni commercio ſepoſitos. Id quod Æthiopum & Chinæ ſanguini regio obtingere ſcriptorum conſenſu traditur: excuſantibus nonnullis, aliis & laudantibus, quaſi diſciplinæ ſeverioris, & accipiendæ doctrinæ imperandi ibi coërceantur.

Procul à te abſit illa barbarorum diſciplina:

Nec tibi regnandi veniat tam dira libido:

Ut ea ſuadente carere omni tuorum complexu velis; ut id, quod cogitatione quoque fœdum ac triſte eſt, quo nulli familiariter notus ſis, ferrum ac tantum non dentes in eorum viſcera acuas. Alexandri Magni, qui petiturus Aſiam omnes qui ipſum ſanguine attingebant, interfecit, factum in exemplum & imitationem non eſt vocandum. Qui & ſeditione in caſtris exortâ, ac conjuratione detectâ, contemni orbitatem ſuam queſtus eſt; & expeditionis longinquæ

quæ eam gratulationem, reditus offendit, ut Caſſandri fraude, ut non vanâ ſcriptorum fide traditur, interiret, regni ſucceſſione inter alienos, partim & inimicos, diſcerptâ. Scrupulus tamen exemtu non facilis urget, pedemque, ne ad reliqua progredi impeditè poſſit, captat: quomodo, ſi non pauci Monachæ ſuorum manibus ceciderint, aut de imperii jure armis cum iis diſceptârint, eorum fidei ceu non dubiæ columnæ inniti jubeam principatus onera. Hanc glaream ut, quo moleſta ne ſit, excutiam; axiomatum paucorum pulſum propè admovebo.

1. Nullius rei tam ſpecioſa utilitas eſt, quæ non aliquando lædendi faciem induat.

2. Novo principatu, de quo nobis hic ſermo, majus ab exteris quam à ſuis periculum.

3. Noſcenda maturè tuorum ingenia; & prout fuerint, plus minuſve illis imponendum.

4. Si plures æquali ſpei gradu fuerint, ſucceſſor certus abſque gravi cauſſa non nominandus: ne uni vivax, cæteris injurius eſſe videaris.

5. Nec uni omnia negotia com-

mittas : ſed partem huic illi aliam commodes : ſupremâ rerum geſtarum gloria, & belli paciſque moderandæ arbitrio tibi reſervato.

II.

VIrum adſciſcat ſui & ſtatûs præſentis amantem, rerum hominumque peritum, animo magis quàm vultu probum, arcana ſervaturum, quicum de ſummâ rerum delibetet: qui liberum quovis tempore aditum habeat, ut pro temporum rerumque; quibus conſilia omnia applicanda, mutatione profutura ſuggerat. Qualem adſcivit Auguſtus Cilnium Mæcenatem, ſingularis modeſtiæ, prudentiæ, fidei, candoris virum, nec parvum novis rebus momentum. Cujus tamen taciturnitatem Auguſtum aliquando deſiderâſſe, ſecreta, uxori per futilem loquentiam pandentis, auctor eſt Suetonius. Verumenimverò non ita ab uno pendeat Princeps noſter, ut ſe illi regendum in omnibus dedat, nec vel in conſilia cogitationes animi admittat, vel alios ſecundæ tertiæve admiſſionis amicos non recipiat.

Me auctore recipiat: &, ſi quem ſpectatæ integritatis & conſilii virum viderit,

viderit, interiori familiaritati eum inſerere ne dubitet. Senatores & publicos regni magis quàm regis conſiliarios hîc non attingo: quorum officia juſto volumine perſcripſit Petrus Magnus Parmenſis, & Fredericus Ceriolanus Valentinus, & Hippolytus à Collibus.

Hos ut bonos viros, & reip. partem ſuſcipientes, itá novo ſtatui non admodum addictos, advocabit quidem in conſilium Princeps, partemque onerum & curarum in illos devolvet, non tamen arcana tuendæ Monarchiæ ab illis exquiret.

Haud tamen abnuerim, in iſto Procerum conſeſſu, Principem ſecretò habere poſſe unum aut alterum ſuas partes agentes, eo validiùs, quò majori ſimulatâ libertate levioribus in rebus obniſi Cæſari fuerint, ut in gravioribus majori cum fide, auctoritate apud ſuos conciliatâ, pedem veli transferant. Nec id perfidiæ dandum viris præſentem, nec ab honeſtate recedentem, ſtatum callidè foventibus, & inſtantia cum tranquillitate publicâ, quam vetera cum diſcrimine ſequentibus. Nam ſi pientiſſimus Iſraëlitarum rex David inter eos, qui

Abſolomi à conſiliis fuerunt, occultè qui à ſe ſtaret, argutáque Achitophelis conſilia eluderet, ſine reprehenſione fovit: cur non idem liceat Principi, in cujus verba & fidem publicè juratum ſit, in ſuſpectâ ſibi Senatorum congregatione?

An verò & ὠτακουστάς & Delatores clancularios audire illi honeſtum ſit, ambiguæ res eſt dijudicationis.

Iulius Cæſar, quia aures iis obſtruxerat; Quintilius Varus, quia Segeſti parari rebellionem deferenti fidem denegaverat: non aſpernandæ delationis documentum morte ſuâ dederunt. Tiberius avidos malæ famæ homines alendo, multum ſanguinis innoxii fudit, odiumqne ex eo publicum incurrit. Quem admiratus Domitianus, præter commentarios & acta ejus nihil lectitavit: delatoribuſque & accuſatoribus etiam abjectæ conditionis hominibus totum ſe mancipavit.

Nam ſervos in dominorum delationem corruptos, & hiſtoriarum volumina teſtantur, & Plinius Panegyrico ſuo tangit. *Non enim jam ſervi Principis noſtri amici, ſed nos ſumus: nec pater patriæ alienis ſe mancipiis cariorum quàm*

civibus

civibus ſuis credit. Omnes accuſatore domeſtico liberâſti, unoque Salutis publicæ ſigno illud, ut ſic dicam, Servile bellum ſuſtuliſti. Principi ut indicium ſervi in caſu aliquo atrociori non ſpernendum, ita mancipia inſtigare, ut omnia dominorum dicta ac facta ad ſe deferant, fœdum, turpe, maculoſum. Nec è re ipſius, nec tutum ſatis, omne genus hominum, ſpecie delationis, in palatii ſui interiora admittere. Quod idem ille Domitianus caſu ſuo docuerit; à Stephano quodam Domicillæ procuratore, & tunc interceptarum pecuniarum reo, obtruncatus. Quod quo pacto perpetratum ſit, operæ eſt Suetonium docentem auſcultare. *Ac ſiniſteriore,* inquit, *brachio velut ægro, lanis faſciiſque per aliquot dies ad avertendam ſuſpicionem obvoluto, ad ipſam horam dolum interjecit: profeſſuſque conſpirationis indicium, & ob hoc admiſſus, legenti traditum à ſe libellum, & attonito, ſuffodit inguina.*

Domitianus igitur, quibus rebus vitam ſuam tutandam credidit, vitam ex iis amiſit; & quas in aliorum cædes amplexus erat, cædem ab iis ipſe ſuam meſſuit.

Quid igitur? non habebit omninò Princeps Emiſſarios, quibus judicia

de ſe hominum, & quid ſtruant, cognoſcat? habebit: ſi alio modo ſtatum ſuum ſeque tutari non poſſit: ſed habebit, his adhibitis cautionibus. 1. Ut modus adhibeatur, nec omnes circi & vici iis compleantur. 2. Ut ſint non modò civibus, ſed inter ſe ignoti: quo ex illorum diſcrepanti aut convenienti ſermone de veritate judicet. 3. Ne præmia quadruplatoribus è damnatorum bonis decernat: ne hac eſca illecti, inſontes & opulentos arripiant. 4. Ne omnia loquacis plebis dicta, quaſi atrociora de ſe ſentientis, in animum admittat. 5. Ne inauditos & indicta cauſſâ condemnet. 6. Ne convictos petulantis linguæ ultimo ſupplicio afficiat. 7. Falſò deferentes graviter puniat. 8. Finem delationum ſtatuat ſuam cum publicâ conjunctam ſecuritatem. Hos cancellos ſi non egrediatur, nemo, credo, opprobrio dabit principi, difficili tempore & ſtatu ſuo nutante, iſto ſubſidii genere uti. Quâ verò licentiâ uſi Delatores, ex contemptis metuendi facti, aulam Principum peſtifero oris ſui halitu inflârint, Tacitus noſter, &, ubi hic deſinit, Ammianus Marcellinus, copioſè docuerint.

Militum

Militum aliquando hanc malignam curam fuiſſe, qui ſparſi per domos civili habitu, ſermones adverſus Principem exceperint, deprehenſoſque in vincula conjectos abduxerint, eleganter Arrianus narrat: diſſert. Epiſt. lib. 4. cap. ult. οὕτω καὶ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἐν Ρώμῃ οἱ προπετεῖς λαμβάνονται. παρακεκάθικέ σοι στρατιώτης ἐν σχήματι ἰδιωτικῷ, καὶ ἀρξάμενος κακῶς λέγειν τὸν Καίσαρα, εἶτα σὺ ὥσπερ ἐνέχυρον παρ' αὐτοῦ λαβὼν τῆς πίστεως τὸ αὐτὸν τῆς λοιδορίας κατῆρχθαι, λέγεις καὶ αὐτὸς ὅσα φρονεῖς, εἶτα δεθεὶς, ἀπάγῃ.

III.

P*Ræſidium militare educere, quoquò iverit, ne ſpernat*; parumque tutam ſine viribus Majeſtatem, grandiloquo Doctori credat. Iulius Cæſar in hoc, ut in aliis, ſalutis ſuæ nimium ſecurus, erravit. Cautiores Auguſtus & Tiberius: quorum ille loricâ ſub veſte indutus curiam intravit; hunc miles in forum, in curiam comitabatur. Ipſe etiam Romulus pater & conditor Urbis, trecentos armatos ad cuſtodiam corporis, quos Celeres appellavit, non in bello ſolum, ſed etiam in pace

L 7 habuit.

habuit. Liv. lib. 1. Salomonis etiam lectum viri armati ſepſerunt. Cant. 3. 7.

Nec culpaverim cuſtodiam corporis peregrino militi commiſſam. Quod Auguſto & cæteris Romanis Imperatoribus in uſu fuit, qui Germanis tutelam corporis ſui crediderunt. Et Galliæ reges Helvetiis hodieque eam fidem & honorem detulerunt. Amori tamen ſuorum conciliando, & ſuſpicioni diffidentiæ amoliendæ, conſultum magis, non externæ fidei, ſed ſuæ gentis militibus, ſacramento adactis, & ſtipendiis, donativiſque ac cæterâ adoreâ auctis, ſalutem ſuam credere: ſaltem communicato cum exteris præſidio, ut æmulatione magis fidei, quàm invidiâ prærogativæ accendantur.

IV.

Viri ingenio, genere, ordine eminentes ne ad extremam egeſtatem delabantur, & dum nihil ſperant nihil deſperent, *videat*. Tiberius largitioni inimicus, tamen cenſum quorundam ſenatorum juvit. Sapientiùs multò, quam aureum illud pecus, Claudius, qui lapſos in paupertatem Senatu movit. Nam ut nimiæ paucorum opes, ita

ultima

ultima egeſtas animos accendit, rebuſque quietis pacatos eſſe non ſinit. Hoc fortaſſe vidit ſagax Servii Tullii ingenium, à quo pauperes militiâ, quaſi per munificentiam, excluſi ſunt. Quod poſtea ſecuti Patres nonniſi maritimæ militiæ, ut minus honoratæ, eos adſcripſerunt. Quo ſtimulo Catilina, & qui cum illo nobiles, ad trucidandi Senatum, remque publicam evertendi conſilia acti fuerint: diſce è belli Catilinarii ſcriptore Salluſtio. Cujus hunc adſcribere non piget aphoriſmum: *Semper in civitate, quibus opes nullæ ſunt; bonis invident, malos extollunt, vetera odére, nova exoptant, odio ſuarum rerum mutari omnia ſtudent.* Nec in hoc voto ſubſiſtunt, audere aliquando diſcunt, quibus promtitudo animi, vel quos antiquus opum aut dignitatis ſplendor irritat.

Quibus verò nec opes unquam fuére, nec ulla animi aut fortunæ bona, quibus erigantur, adſunt: eos ut in turbâ hominum latentes tutò ſpreveris.

Vel ſiquis in nonnullis vigor animi & corporis alacritas, militiæ eos tuæ tempeſtivè aſſumas, ut pro te potius arma, quàm contra te, ferre diſcant.

A

V.

A *Patrio ritu, cultu, linguâ, victu non recedat.* Vel, ſi in externi regni poſſeſſionem venerit, uſitatorum ibi morum formam induat: ductâ etiam ex illa gente uxore, feminâ aliqua illuſtri.

——— ducet è genere inclyto
Novitas colorem noſtra ———

Ait ille Thebanorum Tyrannus Lycus.

Vonones Parthorum regno, ad quod Româ evocatus erat, excidit; *diverſus à majorum inſtitutis, raro venatu, ſegni equorum curâ, quoties per urbes incederet, lecticæ geſtamine, faſtuque erga patrias epulas. Irridebantur & Græci comites, ac viliſſima utenſilium anulo clauſa, ſed promti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia; & quia ipſorum moribus aliena, perinde odium pravis & honeſtis.* Tac. 2. annal. Armeniis Regem non habentibus, Zeno Polemonis regis Pontici filius favorem nationis in ſe traxit, *quod is primâ ab infantiâ inſtituta & cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant, proceres plebemque juxta devinxerat,* Idem eodem libro. Approbantibus

bantibus igitur nobilibus, circumfuſâ multitudine, omnibus in lætitiam effuſis, diadema regium capiti ejus impoſitum: magnâque apud omnes veneratione, regni adminiſtrationem tenuit. Æneas cum profuga Trojanorum turbâ in Latium egreſſus, Latinorum linguam, cultum, affinitatem aſſumſit.

Vel, ſi hæc fabuloſa: Alexander Magnus victorum à ſe Perſarum etiam luxum in epulis, in veſtitu imitatus eſt; indignatione quidem Macedonum, applauſu verò Perſarum, quaſi mutationem domini non ſentirent. A Carolo V. prudentiæ, fortitudinis, manſuetudinis exemplari, Germani proceres alieniores facti: quia per interpretem cum iis locutus eſt, & ſcriptione Gallicâ, familiaritate Hiſpanicâ, nimium delectari viſus.

Quas verò ſubditorum à Rege ſuo religione diſſentientium diſſimilitudo turbas excitare ſoleat, utinam vetuſtis tantùm exemplis probandum eſſet, & non calamitatum hodie cauſſæ vel prætextus oculis obverſarentur.

Homi-

VI.

HOminem præpotentem, novandis rebus habilem, ad exercitus evagari, aut provincias certas ingredi, ne permittat. Salvius Otho urbe egreſſus, in caſtra raptus, humili pro dominatione comitate, copias Italicas omnes Galbæ extorſit, brevi urbe & ipſo potitus. Quem ob metum, ne crebriùs id accideret, cautum aliquando, ut ne urbe quidem Senatori, non impetratâ veniâ, abeſſe liceret.

Inter provincias Ægyptus inprimis, ut novatura aliquid, ſi rectorem violentioris ingenii nacta eſſet, timebatur. Ingenio enim loci, & indole hominum apprimè eò inclinabat, ut nec his voluntas defutura videretur, nec illi facultas. Adire eam claſſe vel pedeſtribus copiis haud proclive erat, clauſtris terrarum ac oſtiis fluminum obſeptis: exitus ad alia loca non prohibebatur. Homines vel mobilitate ingenitâ, vel ſuperſtitionum diſſidiis ad turbas facilè conciebantur. Sed quod præcipuè timebatur, erat, *ne fame urgeret Italiam, quiſquis eam provinciam, clauſtraque terræ ac maris, quamvis levi præſidio adverſum ingentes exercitus inſediſſet.* Erat

Erat enim Ægyptus annonâ ita fœcunda, ut non modò ſibi abundè ſufficeret,ſed Romam totamque Italiam aperto quaſi horreo aleret. Cujus rei ſciens Veſpaſianus contra Vitellium eam provinciam premebat, inediâ bellum profligaturus,niſi ignaviâ ducis partium, & impetu Antonii primi accelerata victoria eſſet. Iulius Cæſar jam olim perſpectâ loci naturâ, veritus provinciam facere, Cleopatræ regendam permiſit; tribus tamen ibi locatis legionibus. Auguſtus adacta ad mortem voluntariam Cleopatra, equitibus Rom. nec iis illuſtribus; gubernandam dedit, numero legionum nec aucto nec minuto. Manſit deinceps penes equites ejus cura, una ſuetis copiis demtâ legione. Pleraque noſter Cornelius argutâ brevitate complexus eſt, lib. 1. Hiſtor. *Ægyptum copiaſque quibus coërceretur, jam inde à divo Auguſto equites Romani obtinent loco regum. Ita viſum expedire, provinciam aditu difficilem, annonæ fecundam, ſuperſtitione, ac laſciviâ diſcordem & mobilem, inſciam legum, ignaram magiſtratuum domi retinere.* Non igitur de nihilo erat, quod Tiberius acerrimè increpuit Germanici contra inſtituta Auguſti

Alex-

Alexandriæ ingreſſum. Præſertim cùm ille ſiniſtræ de ſe opinionis anſam præbuerit, dum *levavit apertis horreis pretia frugum: multaque in vulgus grata uſurpavit, ſine milite incedere, pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu.* 2. annal. Haud ſcio an huc trahendum ſit interdictum Salomonis, cum interminatione mortis, ne Simei Benjaminita, adverſus domui David, præſcriptis terræ finibus egrederetur. Quanquam enim quæſita mortis cauſſa videatur, ob impudentem petulantis linguæ proterviam, &, quibus Davidem Patrem obruerat, convitia: tamen occulti aliquid metus latuiſſe, ne vagando pro lubitu manipulos aliquot hominum perditorum cogeret, nihil abſonum dictu.

VII.

IN urbe ipſa Imperii ſede ne conventicula & nocturni congreſſus fiant, diligenter caveat. Nam ſi ſaluberrimum eſt ad continendam militarem fidem, ſpatiis longioribus disjungere exercitus, otio pacis luxuriantes, ne vitiis & viribus miſceantur: quantò magis decumanam populi undam, quæ nulla ſacramenti reverentiâ, nullo præſentis coër-

coërcitionis metu tenetur, à frequenti congregatione, unde fiducia virium, & paucorum audacia plures contagione arripit, arceri.

Ne Patres quidem alio quàm in curiâ loco convenire patiatur: convenientibus crebrò & improviſò adſit; vel velo obducto, quod moris eſt Imperatori Turcico, quando adſit vel abſit ignoretur. Hanc, puto, ob cauſſam Auguſtus & ſequentes Imperatores pedem portâ vix extulerunt, per filios & legatos externa negotia gerentes. Quod non capiunt, qui Principem in abdito quaſi ſacello includi, ne vulgato adſpectu reverentia minuatur, cupiunt. Alia Claudiani mens, De VI. Conſ. Honorii.

O quantum populo ſecreti numinis addit
Imperii præſens ſpecies! quantamque rependit
Majeſtas alterna vicem! ---- & Syneſii:

Ἡλίον τε μέχρι τήμερον ὐδεὶς πυ καταπεφρόνηκε· καί τοι τί συνηθέστερον θέαμα; Καὶ βασιλεὺς εἰ τεθάῤῥηκεν ἀληθινὸς ὢν, καὶ οὐκ ἐλεγχθησόμενος, ἔσω κοινότητος.

Cui

VIII.

CVi fidat, etiam atque etiam videat. Non fronti ſemper fides.

Seneca Tragicus, Hippolyto.

O vita fallax! abditos ſenſus geris,
Animiſq; pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat; audacem quies:
Pietas nefandum; vera fallacem probant.

Non otio & receſſui turbam hominum peroſo.

Oedip.

Ab inquieto ſæpè ſimulatur quies.

Non beneficio tuo, nec pendenti à fortuna tuâ fortunæ.

Agamemn.

Pretio parata vincitur pretio fides.

Non tamen nulli fides eſt habenda: ſed fidem exploratio antecedat. Cum tanta multitudo fraudes colat & fallacias: eſt & ſuum candori, eſt integritati, eſt ſilentio præmium. Poëtico furore, non philoſophicâ veritate dictum accipio illud in Hercule Oetæo:

Tu quicunque es, qui ſceptra tenes,
Licet omne tuâ vulgus in aulâ
Centum pariter limina pulſet:
Cum tot populis ſtipatus eas,
In tot populis vix una fides.

Hæc

IX.

HÆc omnia imperii defendendi tela longè ſuperant, &, ut ille ait, multis paraſangis præcedunt, *Amor erga Principem & Reverentia* ſubditorum animis infixa, regi ſtatuique ejus benè cupientium, nec quicquam vulgare de eo cogitantium. Utrumque horum quibus artibus paretur, à multis copioſè dictum eſt: ut nobis tanquam in re quæ evolutionem requirat, immorandum non ſit; ſumma rerum capita indicâſſe contentis. Ea quæ Benevolentiam gignunt, triplici materiæ limite coercentur: 1. Vindicandi læſos, & ſuum cuique tribuendi inclinatione. 2. Succurrendi miſeris promtitudine. 3. Ignoſcendi lapſis facilitate. Quibus addo coronidem Suavitatem ſermonis, & vultûs converſationiſque venuſtatem. Quæ Reverentiam producunt, ex triplici fonte manant: 1. Magnitudine animi. 2. Prudentiâ conſiliorum. 3. Gravitate morum. Quibus comitem adjungo Felicitatem eventuum. Hos egregiorum affectuum parentes cujuſmodi ſint, velle definire; & quam neceſſarii ſint ad omnem, nedum regiam, vitam demon-

demonſtrare, nihil aliud eſſet, niſi cramben omnibus menſis appoſitam, cum nauſea lectoris recoquere. Id quod vulgatum omnibus non eſt, quàm nonnunquam ficta etiam proſint, oſtendemus: idque in perſona Tiberii, ſimulandi & diſſimulandi quæ ſunt, quæque non ſunt, artifice. Amori civium & ſociorum conciliando, 1. Iuſtitiæ ſe obſervantiſſimum videri volebat; ut coram quo fora & tribunalia quam maximè ferverent: ſed cavillatione legum ſubvertit, quæ exſtruere tentabat. 2. Liberalitatem quam averſabatur exercuit, inopiam quorundam Senatorum levando, onera provinciarum moderando, hauſtas terræ motu Aſiæ urbes reficiendo. Sed redacta in fiſcum levi de cauſa condemnatorum bona, teſtamenta captata, & cætera hujusmodi, avarum & inexplebilem arguebant. 3. Clementiæ famam homo atrociſſimus captabat; jurando veniam delictorum reis daturum fuiſſe, niſi voluntariâ morte lenitatem ſuam præveniſſent; intercedendo, ne majeſtatis lex in quibuſdam exerceretur; ſtatuendo, ne decreta patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur,

tur,

tur, idque vitæ ſpatium damnatis prorogaretur. Sed neceſſitate & immiſſi militis terrore mori ſuâ manu cogebantur; & quos Majeſtatis lex eximebat, aliâ cadebant; & decem dierum interjectu Tiberius neminem pœnæ eripiebat, nec ſenatui decretum revocandi facultas erat. 4. Affabilem ſe & pulchellum eſſe quandoque laboravit, quem tam auſtero & arroganti ore truculentum vix mater amare poterat.

Auctoritatem parantes virtutes non minori conatu, nec feliciori ſucceſſu, expreſſit. 1. Prudentiam ſanè, vel calliditatem potiùs, non planè illi alienam fuiſſe, multa ab eo & dicta graviter, & ficta aſtutè, & facta conſultò probent. Qui tamen Sejani, qui Macronis ductu regeretur, hominum fortunam cæſaream, quàm ipſum, quem evertere conabantur, magis colentium; qui liberos & nepotes imperio præparare, & ab injuriâ occultè inimicorum defendere neſciebat; qui ſimulatione in tempore uti, utpote quotidiano & manifeſto uſu conſumtâ, non callebat: eum non dixerim verè prudentem. 2. Magnitudinem animi oſtentabat, ſpernendo impe-

rium & detrectando regendi onera: *experiendo didiciſſe, quàm arduum, quàm ſubjectum fortunæ, regendi cuncta onus: proinde in civitate tot illuſtribus viris ſubnixâ, non ad unum omnia deferrent.* Tac. 1. annal. Hæc ille, qui tantoperè pro imperio retinendo ſudavit; qui vultus etiam & nutus propinquorum cavillatus eſt. Adgandeſtrio Chattorum principi Arminii mortem promittenti; ſi patrandæ neci venenum mitteretur, reſpondit: *Non fraude neque occultis, ſed palàm & armatum populum Romanum hoſtes ſuos ulciſci.* 2. annal. Hæc ille, qui Archelaum Cappodocum regem ſpe veniæ oblatâ in urbem accitum, accuſatorumque rabiei objectum, contumeliam morte prævenire coëgit; qui Rheſcuporidem Thracum regem, opera Pomponii Flacci per ſpeciem honoris in vincula datum, in urbem pertraxit; qui per Druſum filium, quaſi componendis Germanorum diſcordiis miſſum, diſſidentes in mutuam perniciem illexit. In Druſi valetudine & funere, veterum philoſophorum conſtantiam effinxit. *Defuncto nec dum ſepulto, curiam ingreſſus eſt. Conſuleſque ſede vulgari per ſpeciem mæſtitiæ ſedentes, honoris locique admonuit; & effuſum in*

in lacrimas ſenatum, victo gemitu, ſimul oratione continuâ erexit. 4. annal. Is qui filii cauſſa Germanicum periculis objectaverat, ipſum autem urbanis ſervaverat deliciis. 3. Gravitatem morum meditatus eſt. *Spectabatur occurſante populo, compoſitus ore.* 2. annal. Qui ſenior inter pueros, inguina morſu appetentes, natavit. 4. Felicitatem jactitavit. *Nam cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat.* 2. annal. Sed liberos amiſſos, ſed cætera incommoda reticebat.

Iſtis honeſtarum rerum umbris Tiberius non niſi umbroſam civium benevolentiam & venerationem evaneſcentem conſecutus eſt. Tu, Princeps, ut ſolidam & permanſuram aſſequare, pro fictis virtutum ſimulacris veras illarum idéas apprehende.

Armorum & aciei apparenti ſpecie hoſtem ſubito adventu vel tenebris incautum terrere aliquando poſſis: die & morâ fallacias aperiente, fruſtra fueris. Ita ſimulatione tectâ ignaros aliquandiu in admirationem ſui rapiant: propiùs accedentes, & detectâ perſonâ veram faciem intuentes, non moveant.

X.

SEd quoniam ſubditorum promta in principem inclinatio, & opinio de eo reverens, bona ſunt in animis aliorum fundata, quæ pro mobilitate eorum circumvertuntur: quærenda ſunt arma illi propria, quibus oppoſitis, & contra immeritum vulgi odium, aut contemtum, & contra vertumnum levis populi, affectum temerè ſumentis, & potentis, tueri ſe poſſit. Id duplici armaturæ genere aſſequetur: *Sapientiæ* ſcuto, & *Virium* loricâ. Utrumque invidiæ populari avertendæ egregiè facit, ut & quibus petitur tela, citra eum recidant, & pertingentia reſiliant. Iſtis munitum expugnari non poſſe Syneſius libro de regno exclamat: Ὡς ἐστιν ἄμαχον, ὅταν ἰσχὺς καὶ σοφία συγγένωνται. Utrum verò ad conſervationem Regni plus virium conferat, haud facile eſt expeditu: cum & parum tuta ſit ſine viribus aſtutia, & robur mente deſtitutum pondere ſuo ruat. Quia tamen ſapientia mediocri, nedum regiâ, facultate armata, vires acquirere apta eſt; nec vires brutæ ſapientiam inveniunt, cum ne quærat quidem, ſatius eſt, ut

illam

illam iſtis præferamus. Porrò Sapientiæ nomine capio providam Ducis ſollertiam, temporibus conſilia aptare gnaram. Nec ſegrego ab ea acrem quandam, res naturales è cauſſis dijudicantem, mentem: unde magnitudo animi fortuita deſpiciens; rectumque de Deo cum colendi animo ſenſum; ex quo fiducia rerum ſuſceptarum gignitur. Ut, ſi Ariſtotelëis eam vocibus terminare velimus, triplici habitu, Prudentiæ, Scientiæ, Intellectûs, conſtari videatur.

Vires regias, non tam corporis accipio, quam quas Fortunæ Plato vocat, Interque eas principem locum aſſigno Militi alacri & exercitato; proximum convenienti armaturæ. Iſta enim, accedente provida Ducis curâ, cætera quæ bellum prolatum deſiderat; pecuniam, commeatum, facilè aperient. Nec dum à ſententia, quâ nervos belli gerendi pecuniam eſſe negavi, dimoveor; fultus aliâ inſuper Taciti ſuffragatione. *Vires luxu corrumpebantur: contra veterem diſciplinam, & inſtituta majorum, apud quos virtute, quàm pecuniâ, res Romana melius ſtetit.* 2. Hiſtor.

Nec arces adverſus incurſionem

M 3 popu-

popularem ſubitam paratas & inſtructas admodùm ſpreverim. Fœderibus quantum tribuendum, hîc non recludo: cum potentiam ſuâ vi nixam ſuaſerim.

MEDIA.

I.

M*Endaci vel actione vel ſermone populum circumvenire.* Non de fide datâ, & jurejurando ſancitâ, hîc loquor: (Ejus enim violatio robuſtioris jam, nec ullo excuſationis velo palliandæ, nequitiæ eſt) verùm de vulgari & citra promiſſionem deceptione.

Eam qui licere Principi contendunt, ad ſuæ ſtabilimentum ſententiæ advocare poſſint magnorum autorum teſtimonia; exempla, & ſimilium in vita actionum cognationes. Auctoritas nullius adduci clarior, & admiratione viri rarior, hâc Platonis potuerit: Συχνῷ τῷ ψεύδει καὶ ἀπάτῃ δεήσειν χρῆσθαι τοὺς ἄρχοντας, ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἀρχομένων: crebro mendacio & fraude uti imperantes debere, ad utilitatem ſubditorum. V. de repub. & addit, φαρμάκου εἴδει τὰ τοιαῦτα χρήσιμα εἶναι:

Quem-

Quemadmodum venena medicamentis utiliter miſcentur; ita ſermoni è puro veritatis fonte hauſto ſine noxa mendacii quaſdam guttulas inſtillari. Exempla magnorum dignitate & pietate virorum, pro ſalute ſua mentitorum, vel ſacræ ſcripturæ penu ſine invidia ſuppeditet. Similitudo actionum & ſine reprehenſione deceptiuncularum in omni vitæ parte lucet. Callida belli Ducum conſilia, quæ pulchro ſtrategematum vocabulo ornantur, quam propè à fraude & mendacio abſunt! V. gr. Cum Tullus Hoſtilius Metium Suffetium & auxiliares Albanorum copias juſſu ſuo ex acie ſubductos vociferatur, quo ſuis timorem, hoſti fiduciam, vacillantibus conſtantiam defectionis demat.

Vel ubi Antonius Primus, inclinatâ ſuorum acie, cum nonnulli Solem orientem more Syriaco ſalutarent, rumorem ſubdit, advenientes Muciani ab oriente legiones exceptas illâ ſalutatione. Qua Ducis aſtutiâ factum, ut ſui quaſi viribus aucti inferrent gradum; Vitelliani quaſi cum integris feſſi pugnarent, dum animum & manus remittunt, loco pellerentur. Iſta quidem manifeſti in verbis mendacii

calliditas eſt. Non minus omnia ſtrategemata mendacium actione involvunt. Atqui tantum abeſt, ut vituperio rejiciantur, ut etiam inſigni Imperatoriæ virtutis laude attollantur. Iam in reliqua hominum vita, ne quotidiana tabernariorum, neceſſitate quærendi victûs illis excuſata, referam mendacia, nonne medicus ægrotum, mater infantem, præceptor diſcipulum, ut guſtu amara ſed uſu ſalubria recipere velint, crebro mendacio decipiunt?

Accedit & ratio. Nulla enim virtus rectorem populorum magis decet, quàm Prudentia: quæ excludit illam apertæ vitæ ſinceritatem. Iſta quidem pro deceptione argumenta militant. Quæ omnia proſternuntur illo Salomonis fulmine: *Non decent ſtultum verba compoſita, nec Principem labrum mentiens:* Prov. 27. quod auctoritate quamvis divini Platonis, & exemplis modò aut ſimilibus allatis, non repellitur. Nam & diſſimilia ſunt, & nodò ſuo reprehenſionis ipſa non vocant. Prudentiam verò ita tegere frontem æquum eſt, ne aſſumto mendacio ad vitiorum confinia veniat.

Armo-

II.

ARmorum promiſcuum uſum, & exercitia militaria, nec plebi nec nobilitati concedere. Qua in re cautè illi agendum: ne per vim ea adimenda, tyrannidis apertè ſe alliget. Quare aut pace undique ſtabilitâ, armorum oblivio mentibus irrepat; aut mercenario milite & fines imperii tutandi, & pravæ civium cupiditates refrenandæ.

III.

NOn tamen otio redundante laſcivientes, ſeditionum principiis vacare ſinat. Eum in finem, credo, Auguſtus Urbem quaſi pro majeſtate imperii non ſatis ornatam ſplendidis excoluit ſtructuris, civium & otio & ſumtibus illudens; privatimque ad ſplendidè ædificandum hortatus, promtos laudando, ſegnes caſtigando, incitavit. Et Nero tectis urbis ignem injecit, quaſi fortuitò exortum, ut majori molimine inſtaurare flamma depaſtam poſſet, curis hominum ad eas occupationes avocatis. Huc refer inſanas ejuſdem in lacubus exhauriendis molitiones: & cætera, quæ cauſſarum ignari inani opera & olea facta admirantur.

Veſpaſianus corradendi & comparcendi ſollertiſſimus in cæteris, non modò Capitolium, quod bello civili conflagaverat, reſtituit: ſed & nova opera, quà ſacra qua profana, quam plurima confecit. Eumque qui compendium attollendarum trabium obtulit, muneratum à ſe demiſit, occupandos eo opere egenorum animos dictitans. Arguta hæc civium in opere detentio fuit, & ut mollior, ita prudentior illâ Ægyptiorum regum pyramidum exſtructione,& Tarquinii Superbi cloacarum ductione, qua populus gemens ad aſininos labores adigebatur.

IV.

INterfecti Principis, quamvis alieni, quamvis inimici, nedum Parentis, *mortem quoquo modo ulciſci*. Sanè ut opinio hæc in animos hominum illaberetur, regium ſanguinem, ſive principalem, licere effundere, non abſque ratione religio fuit committere Laurentio Medicæo. Et, ſi luſtrare præteritorum memoriam celeri oculorum ictu liberet, traditum hunc jam uſque ab Heroum ævo regibus morem cerneremus,ut percuſſores regios

con-

conquiſitos ultimo ſupplicio afficiant: non amore ſemper aut honore interfecti, ſed quo ſublatis audaciæ tantæ autoribus, cæteris ne idem audeant metu ſuppreſſis, munimentum ſedi ſuæ circumdent. Horum agmen cùm æqui ſervantiſſimus rex Iſraëlitarum ducat, qui percuſſores Saül filiique ejus, injuſtè ſibi adverſatorum capite pœnam luere juſſit: non eſt maligno temerè judicio de illo regum more ſtatuendum.

V.

Etiam in filios paternæ dominationi adverſos, & vel in populi libertatem, vel in alterius exaltationem pronos, *animadvertere.* Non ferendam hanc in Rege ſeveritatem eſſe, ut ſtatûs amore ad liberorum odium abripiatur, vulgò creditur: & eſt profectò immanitas; ſi humanitatis eàm jure metiamur. Cur tamen in Bruto laudetur, quod filios ipſe ſuos regibus nimium faventes mactaverit; in rege non feratur, quod liberos puniat paternam & ſuam felicitatem non ferentes, ratio nulla eſt. Aut admirari deſinamus conſtantiam Bruti, ſupplicii filiorum exactoris: aut regi idem licere pro

regno ſuo, quod Conſuli pro aliena libertate licitum, putemus.

VI.

FEminam animo elatam, genere illuſtrem, gratiâ ſubnixam, ne nubat, aut ut nubat impari, obſervare. Agrippinæ omnibus his adminiculis ſe erigentis, preces maritum flagitantes Tiberius ſurdis auribus accepit. Quod ſi Servius Tullius filiæ ſuæ ſecundas nuptias impediviſſet, æternam vico ſcelerato memoriam non creâſſet. Contrà, virum vitæ prodigum, & in præceps ruiturum, uxori modeſtæ alligare, conſilii eſt: non modò ut conſuetudine ejus manſueſcat, ſed ut de ipſa liberiſque communibus ſolicitus, majeſtatis legem metuat.

VII.

RVmorem & ſermonem de te popularem ſpernere. Quod Principem ſuum docet Hetruſcus Doctor: quòd pleroſque judicium rectum lateat; nec ſapientum, qui pauci ſint præ magno ſtultorum numero, nec ſtultorum qui exſuperent, ratio magnoperè ſit habenda.

Subeſt

Subeſt & alia ratio, quâ ſibi mirum in modum plaudit Mycænarum tyrannus:

> ——— *maximum hoc regni bonum eſt,*
> *Quod facta domini cogitur populus ſui*
> *Quam ferre tam laudare* ———

Alii quid loquantur homines nihil ad ſe pertinere putant, aut putare ſimulant; ut ipſa negligentiâ ſermonum ſermones vulgi ſopiant. Ita Nero, cætera crudeliſſimus, erga obtrectatores famæ ſuæ mitis fuit: *vel contemtu omnis infamiæ, vel ne fatendo dolorem, irritaret ingenia.* Sueton. cap. 39. Qui rumoris & contumeliæ contemtus, ſi à virtute proficiſcatur & magnitudine quadam animi, in ſiniſtris non eſt habendus. *Ipſe divus Iulius, ipſe divus Auguſtus & tulére iſta, & reliquére; haud facilè dixerim, moderatione magis an ſapientiâ. Namque ſpreta exoleſcunt: ſi iraſcare, agnita videntur.* Tac. 4. annal. Sin ſpreto famæ judicio virtutes deſerendæ forent; audire malim Tiberium Sejano ſuo ſuggerentem: *Cæteris mortalibus in eo ſtare conſilia, quid ſibi conducere putent: Principem diverſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* ibidem.

VIII.

ARtium liberalium, quibus animi ad altiora evolant, exercitia ſubditis interdicere. Quod an culpam incurrat, diſceptatione non vacat: cum eâ ratione Magnus Dux Moſcoviæ, & Imperator Turcarum non modò ſe, ſed & tranquillitatem regni incolarum conſervet. Alii ad enervandos animos literarum cultarum inducendam ſuadent. Campanella certè Hiſpanis auctor eſt, ſuam gentem nonniſi in armis exercendi, bello aut conditione ſubjugatas librorum vocatione frangendi. Gothi inventam in Græcia librorum multitudinem flammæ, ut rem inutilem, mandaturi, conſilium acceperunt, relinquendas illas occupationes eſſe Græcis, ne ad arma & res ſerias traducti, pluſculum negotii faceſſerent. Sed nec iſta, nec illa, poſitionem noſtram evertunt. Primò enim diſtinguendum inter eas artes, quæ vel contentioſa digladiatione compaginem animorum & pacis diducunt, vel præter inanem contemplationem nihil utilitatis conferunt; & eas, quæ humi jacentem ad altiorum tractationem rerum animum evocant.

evocant. 2. Habenda ſcientia cum modo: iis præſertim, qui in profeſſione literaria non acquieſcunt. 3. Utrumque excolatur, & armorum & ſapientiæ ſtudium: exemplo Romanorum, qui eruditos & imbelles Græcos, qui feroces & rudes barbaros pari facilitate ſub jugum miſerunt.

IX.

AB armorum ſtudio ad voluptates & theatrorum ludicra traducere. Quâ machinatione Cyrus Major Sardianos & reliquos Lydorum imperio ſubjectos callidè ſubruit, ut ad rebellandum nec impetus animo nec vires corpori ſuppeterent. Herodotus tamen aſtuto Crœſi conſilio, præſentem à ſuis peſtem averſari, Cyrum id factitâſſe arguit. Quicquid ſit; ſaluti eorum & vitæ ita conſultum ivit, ut libertatem haud dubiè corrumperet.

Nec ignotæ fuere Romanis Imperatoribus eæ artes: qui ut nobiliſſimum quemque majeſtatis lege, ita vulgus civium theatrorum ac circi licentiâ everterunt; illis vitam, his animos tollentes.

Ad

X.

AD populi errata pluſquam juſtitiæ aut bonis moribus conducat connivere: eorumque, vel diſſimulando, vel iis accedendo, participem fieri. Quod retinendi ſtatus, captato unde non decebat popularis auræ refrigerio, fieri aliquando amat.. Sæpius tamen in militari imperio & diſciplina caſtrenſi iſtic peccatur, in bellis maximè civilibus, in quibus major ad jubendum quàm prohibendum ſcelus Duci auctoritas. Diverſimodè verò; vel ad centurionum & tribunorum iniquam diſpenſandi rationem ſiletur, vel gregarii militis laſciva evagandi, rapiendi, potandi licentia fovetur. Quâ ex diverſitate indulgentiæ, difficultate aliquando implicaris; cum nec utriſque gratificari poſſis, & neutros velis offendere. Ex qua ut eluctêris, imitanda fortaſſe Salvii Othonis prudentia: qui, *ne vulgi largitione, centurionum animos averteret, ex fiſco ſuo vacationes annuas exſoluturum promiſit: rem haud dubiè utilem, & à bonis poſtea principibus, perpetuitate diſciplinæ, firmatam.* Tac. 1. Hiſtor. Flagitaverat miles, ut vacationes centurionibus præſtari ſolitæ remitterentur.

tur. Petitio erat æquiſſimâ ratione nixa, & neceſſitate injuſta patientium expreſſa. Namque in tanta ſtipendii anguſtiâ cogebatur miles otium & vacationem redimere: ni faceret, ſævitiâ ad laborum Augeæ ſtabulum adigebatur. Ita per iniqua ad egeſtatem ſinguli, univerſi ad languorem & inertiam, unde diſciplinæ ſolutio, dabantur. A privato itaque damno ad publicam corruptelam lues proſerpebat. Otho cum nec irritare centurionum animos vellet, conſuetudine jam quaſi jus peccandi adeptorum; nec morum illam gangrænam ferre ulterius poſſet: inter ancipitia media vià cautè inceſſit, occaſione utroſque ſibi conciliandi dextrè arreptâ. Quod non pravo exemplo factum, bonorum poſtea principum ratihabitio obſignavit. Conſtantis tamen belli Ducis, nec exercitui ſuo obnoxii, meo judicio foret, pravum illud germen vacationum annuarum radicitus evellere; diſciplinæque ſeveritatem, facto à primis initio, per tota caſtra propagare.

FLAGI-

FLAGITIOSA.

PEr quæ, ſpretâ divini & humani juris ſanctitate, omne fas nefaſque perrumpunt aliqui, dum dominatione non excidant. Quæ principi licere, non hujuſmodi ævi nimis emunctæ naris pragmatici opinantur; ſed & in illa antiquitatis ſimplicitate cogitatum. Ἀνδρὶ τυράννῳ ἢ πόλει ἀρχὴν ἐχούσῃ, οὐδὲν ἄλογον, ὅ, τι ξυμφέρον, ait ille apud graviſſimum auctorem non graviſſimo ſermone. Cui reſpondet levitate Lepidi illa apud Salluſtium ſermocinatio: *Nihil glorioſum, niſi tutum; & omnia retinendæ dominationis honeſta eſſe.* Ego ut conſervandæ publicæ rei cauſſâ interdum à juris privati rigore diſcedere licere conceſſerim; ita malim Politicorum acuminum rudis videri, quàm ut pro dominatione violanda eſſe fidem, pietatatem, pudorem voce manuve ſuffrager. Aliis animoſa videatur & Rege digna illa Atrei apud Tragicum oratio:

——— ſanctitas, pietas, fides,
Privata bona ſunt: qua juvat, reges eant:

Et illa quæ ejuſdem impuro ore prolata præceſſerat:

Ubi-

Vbicunq; tantùm honeſta dominanti licent,
Precariò regnatur. ———

Mihi ſapientior & homine dignior videtur illa ſervi minimè ſervilis inſtructio :

——— *ubi non eſt pudor,*
Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides ;
Inſtabile regnum eſt. ———

Non Apollinis magis verum ; quàm hoc oraculum : ut à cothurno ad ſoccum levi circumactione me transferam. Exempla omnis memoriæ veritatem, animis hominum infixam, copioſè ſtabiliunt.

Deus, hominesque & natura in eum conſurgunt, qui Dei, hominum, naturæ jurà faſtuoſo pede calcat. Nec ſi quis Dionyſius direptorum ſacrorum præmium, ut ipſe joculari impudentiâ jactabat, mollem & ſecundam navigationem tulerit ; idcirco ab ipſo domoque ejus & poſteris vindictæ exactio emanet. Plumbeo pede ad repetendum pœnæ debitum, id eſt, lento ſed firmo, divina ultio progreſſa, tarditatem ſupplicii gravitate compenſavit. Ut jam non compilem ſapientum ſcrinia : ſatis eſſe ſupplicii in ipſo ſcelere, quod nullo regni præmio expendatur ; manere etiam poſt obitum

obitum malorum facinorum diuturnas & graves pœnas. Mihi pro inſtituti mei modulo abunde agitur, ſi ne regno quidem conſervando, cujus gratiâ fas omne violatur, facere projecti pudoris rationem docuero.

I.

PRincipium juris dominii aliqui putant, *nullum Dei habere ſenſum, nullámve cogniti reverentiam:* nihil generoſum, nihil altum concipere mentem timore Dei devinctam; domi militiæque miſeriis conflictari, qui religionibus inſerviant. Si quid religioni tribuendum; ad dementandam plebem & metu coërcendam, ejus nomine abutendum eſſe. Sic Numam Pompilium Romanorum, Moyſen Hebræorum, Lycurgum Spartanorum ductores, quò majorem ſibi legibusque ſuis reverentiam conciliarent, colloquia cum Diis & deabus commentas, variis colendi Deum ritibus ruditati populi illuſiſſe. Nonnemo jam eò audaciæ prorupit, ut librum de tribus magnis impoſtoribus, Moyſe, Chr. & Muhamede, qui miraculorum fallaciis plebem faſcinârint, typo evulgatum publici juris facere non erubu-

erubuerit. Sed iſtos in tanta veritatis luce obortos tenebriones, quorum cum ipſis ſapientia intermortua eſt, mittamus. In gentili errorum caligine qui omnem Dei cultum referunt, quàm ſibi ad finem conſtiterint, vel quem factis ſuis exitum invenerint, operæ eſt videre. Tullus Hoſtilius ferocis animi rex, contemtor numinis & religionis, populum ſub Numâ Pompilio ſacris & deſidiæ ſimul operatum indignatus, in arma non detrectantem rapit, cauſis bellorum undeunde quæſitis. Gravi pòſt paullò morbo arreptos, mutato animo omnibus magnis minimiſque ſuperſtitionibus obnoxius factus, cum ſera & terrore injecta pœnitentia parum proficeret, tandem fulmine ictus cum domo ſuâ conflagravit. Cajus Caligula exuti Deorum timoris audaciam profeſſus, mente ſæpè pavefactus, & ad leviſſimam tonitru ſuſpicionem latebras quærens, quem eſſe Deum negavit, invitus exhorruit: nocteſque per furorem & cruciatum conſcientiæ inſomnes egit; nec diuturna regni poſſeſſione, nec vitæ placido exitu. Cæterum nec felicitati publicæ, nec imperandi ſapientiæ ſacrorum vacationem

nem

nem obſtitiſſe, è ſacro codice, quem, qui rident pietatem, explodunt, in caſſum argumenta non producam. Romani, quâ gente nulla vel latius vel diutius dominata eſt, nihil magnæ rei ſine numinis imploratione inceptarunt. Coss. *nulla de re prius, quàm de religione, Senatum conſuluére.* Livius Decad. 1. Ne verò ſemel hoc factum, & non in uſu frequenti illis fuiſſe, putes, alius non ſpernendæ inter Romanos ſcriptores auctoritatis intonat. *Omnia poſt religionem ponenda ſemper duxerunt: etiam in quibus ſummæ majeſtatis decus conſpici voluerunt. Quapropter non dubitârunt, ſacris Imperia ſervire; ita ſe humanarum rerum futura regimen exiſtimantia, ſi divinæ poteſtati bene & conſtanter fuiſſent famulata.* Valerius Maximus: à quo plura feliciter habitæ religionis exempla hauri. Huic uni rei tribuere incrementum Romanum, & decrementum neglectæ, non dubitat, qui parcus ante Deorum cultor & infrequens; inſanientis dum ſapientiæ conſultus errat, nunc terrore mentis, & certis operationis divinæ ſignis convictus reſipuit, Horatius Flaccus.

Dis te minorem quod geris, imperas:
Huc omne conſilium, huc refer exitum.

Dii

Dii multa neglecti dedère
Heſperiæ mala luctuoſæ.

Placuit igitur ſapienti numini, religionem quamvis falſam, religionem tamen, bonis non quidem veris, illorum tamen opinione maximis, imperii amplitudine, & opum largo acceſſu munerari; neglectæ autem & contemtæ pœnam, dignitatis imminutionem, & calamitatum immiſſionem irrogare.. Ita nec hos naſus & nova prudentia conſervavit; nec illos antiqua ſimplicitas & innocens peſſundedit. Sed hæc caſui, aut labentibus in deterius moribus; illa diſciplinæ, ſapientiæ, & moribus antiquis adſcribent, non divino vel auxilio vel ultioni, qui pietati adverſantur. Atqui diſciplinæ, ſapientiæ, & morum antiquorum non exigua pars fuit Deorum veneratio & cultus. Nec caſûs cæcitate raptum imperii decus, vel cœlo terrâque edita prodigia, imminentium prænuncia, inſenſos animos monuerint. Quæ tanta vel magnitudine vel numero fuerunt, ut exclamare ſagaciſſimum ſcriptorum Romanorum coëgerint. *Nec enim unquam atrocioribus populi Romani cladibus, magisve juſtis judiciis approbatum eſt, non eſſe curæ deis ſecuri-*

ſecuritatem noſtram, eſſe ultionem. 1. Hiſtor. Profundiſſimum religionum eo ſeculo contemtum; ſecuramque numinis violationem, fœdiſſimas morum maculas trahentem, publicarum calamitatum grandinem mereri vidit. Quà juſto judicio effuſâ, curæ eſſe Deo res humanas, earumque, ſi juſtæ fuerint, ſecuritatem; ſi improbæ, ultionem collegit. Lipſii, qui ſua in hunc locum interpretatione fruſtra eſt, caſtigationem auctoris inenti adverſam parum moror. Nec adeò impiè aut inſulſè belli civilis buccinator:

Felix Roma quidem, civeſque habitura ſuperbos;
Si libertatis ſuperis tam cura placeret,
Quàm vindicta placet.

Atque ita ſe habet primum conſervandi dominii, perverſè à nonnullis jactum, fundamentum; omnem Dei cogitationem exuere.

II.

PRoles hujus monſtri, parente ipſo pejor eſt, *ſeipſum pro numine colendum exhibere.* Nefarium ſcelus, & nullo utilitatis humanæ inſtitâ decorandum. Non audio hîc Curtium; *Perſas non ſolum*

ſolum piè, ſed etiam prudenter reges ſuos inter deos colere: majeſtatem enim imperii, ſalutis eſſe tutelam. Nam quæ pietas, Deo eripere quod ſuum eſt, ſpretaque priſca religione, novam colendi pro Deo hominis introducere? quæ prudentia, ei qui ſe Deum ſtolidâ perſuaſione credat, cui adverſi evenire nihil poſſit, omnem conſiliorum & vigilantiæ intentionem eripere? quæ quam infirma ſalutis tutela fuerit, res Perſicæ tantæ & tam latè diffuſæ brevi momento ſubverſæ monent. Homines eſſe, & quidem communis hominum rationis indigentes, plaga, quæ ſtultos erudit, admonuit. Hæc tamen victæ à ſe gentis credulitas mirum in modum arriſit Alexandro fortuna magis & impetu, quàm conſilio, Magno: ſed nec eadem vel ſimplicitate vel adulatione, qui gemini deificationis parentes, à candida Macedonum natione admiſſa. Romani Imperatores arrogantiâ majori civibus inſultaverint, an callidiori irriſu hi illis palpum obtruſerint, ut divinum honorem in provinciis (nonnulli & Romæ) acciperent, haud facile dictu eſt. Prudentiores certè Imperatorum cautè parcéque eo uſi. Auguſtus le-

niendæ invidiæ templum in provinciis, niſi communi ſuo Romæque nomine, quæ & ipſa inter deas culta, non recepit. Tiberius, cui libertas odio, adulatio faſtidio erat, palàm ejuſmodi paraſitationes averſabatur; *acerbéque increpuit eos, qui divinas occupationes, ipſumque dominum dixerant.* Tac. 2. annal. Auguſti tamen divinos honores quod potuit exegit; non ignarus, iis rem ſuam ſtabiliri, ſi Dei & ſucceſſor & filius haberetur. Caligula, qui divinam ſibi majeſtatem aſſeruit, Iovemque ipſum in duellum provocavit; Nero, cujus cœleſti (ſceleſtæ) voci immolabant; Domitianus, qui ſe Dominum Deumque noſtrum dici voluit, furore, ſceleribus, trepidatione exagitati, magno hominum conſenſu pœnas luentes, cruore non divino gladios infecerunt.

III.

ALtera impietatis proles eſt, *varias ſuperſtitionum formas pro dominatione induere*, & utilitate profeſſionem religionis æſtimare. Quod variis fieri modis aſſolet: dum vel ſuperſtitione populum imples, ut faciliorem imperio habeas; vel receptis regionis ritibus

contra

contra animi ſenſum te applicas, vel novam & ſtatui tuo aptam religionem inducis; vel diſſidia religionum ſeminas, vel ſata callidè foves, ut disjunctis animo & viribus civibus facilius quodlibet injungas; vel omnibus te, quo omnium gratiam occupes, profeſſione, his apertâ, illis occultâ, neutris ſeriâ, applicas; vel ſectarum exterminium ſævitiæ & rapinæ prætextum ſumis. Exemplis nulla ſecula fecundiora ſunt, quàm quæ poſt exortum Chriſtianæ doctrinæ jubar, infinitas ab una via recedentium ſectas pepererunt. Ex his circa religionis viam vafritiis cùm nulla ſit probanda, humaniùs tamen peccant & πολιτικώτερον, qui, ut nihil rerum compoſitarum convellant, receptam amplexantur. Aliorum judicio etiam benè merentur de vita humana, qui ſuperſtitiones pro viribus auctas diſpergunt: quod ex his pia ſoboles, religio, vel procretur, vel conſervetur, faciliùs. Ita enim clarè magnus Scaliger: *Nulla humana opera melior ad cultum divinum augendum, quàm ſuperſtitio. Quemadmodum ambitio vitium eſt ipſa, maximarum autem virtutum mater; ita ſuperſtitio. De qua paulatim cum aliquid*

 auferas,

auferas, quaſi urſæ catulum lambendo formas. At qui nudam illam ac ſimplicem religionem ab initio hauſerunt, minimo quoque argumento labefactantur, leviſſimo attritu gracileſcunt; atque tandem ἄθεοι fiunt.

Argutatio à ſubtilitatum ſectatore ſubtilior, quàm pingui veritate fundatior. Ego viatorem Iordanem & Hieroſolyma quærentem non ad Gangem Indiæ; ſed nec ad Tagum Hiſpaniæ fluvios remitto: religionemque nec ab atheiſmo, nec à ſuperſtitione auſpicor. In univerſum, paucis ludibrium religionis uſui fuiſſe, nullâ publicè vel privatim inſecuta pœnâ, niſi indiligens rerum ſcrutator fueris, comperies.

IV.

FIdei & perfidiæ in pactis & fœderibus præſtantiam uſu diſcernere. Quæ quidem projectæ res nequitiæ, etiam in lenonum genere ultimum opprobrium eſt. Nam, etſi quis alienæ & ſuæ pudicitiæ, fortunæ, vitæ prodigus, nulla legum aut cenſuræ reverentiâ ducitur: promiſſis tamen non ſtetiſſe, cum cætera flagitia non abnuat, invitus redarguitur. Principis verò majeſtatem tam fœda fallacis linguæ porrigo quo-

quomodo non maculet? Rectorem univerſi Deum eſſe, qui læſi perjurio nominis ſui pœnam exigat, quibus perſuaſum non eſt; hominum tamen intuitu, ſuæque dignitatis reſpectu, verba ſua pondus habere voluerint. Quod cùm indubitatæ veritatis ſit, non tamen deſunt, qui Principi pejerare regni cauſſa turpe non eſſe, auribus inſuſurrant. Apage iſtos tenebriones, quanquam in aulæ luce degentes, in publicam hominum fraudem natos, & tantum togâ honeſtos.

Aleatore, quàm rege, dignior illa vox: *τοὺς μὲν παῖδας ἀστραγάλοις δεῖν ἐξαπατᾷν, τοὺς δὲ ἄνδρας ὅρκοις*: *Pueros quidem talorum luſu; viros autem juramentis, fallendos eſſe.* Utilitatem tantis ſceleribus obtendis, & proſperum rerum ad votum euntium curſum? Non agam tecum Stoicorum more, ut nihil utile eſſe, quod non idem ſit honeſtum, contendam: nec honeſtatis ante utilitatem rationem habendam, inſolitis veri auribus tuis ingeram. Damnoſam fidei datæ & conventorum violationem eſſe, cùm ratione, tum exemplo uno aut altero docebo. Deum ſi vindicem perjurii non reſpicis: at homines cogita, & publicum odium cum

tui contemtu conjunctum. Oderunt ut noxium & jura gentium tranſſilientem: contemnunt ut bilinguem, ac ne generoſe quidem nocentem. Cujus verò præcipitationem & ob invidiam expetunt, & ob contemtum audent, eum lubrico potentiæ gradu ſtare palàm eſt. Exempla deſideras per præcipitia iſta lapſorum? non ſingulorum hominum dabo; ſed nationum, ſed gentium. Athenienſes, antiquum & ingenuum candorem etiamnum ſervantes, ubi callidum Themiſtoclis conſilium quòd ab honeſtate recederet, ne audire quidem voluerunt, favore hominum & Dei ſubvecti, Perſarum vim ingentem à cervicibus Græciæ depulerunt, inſulanorum & continentis magnæ partis in ſocietatem ſuam ſponte venientium copias attraxerunt. Aſt ubi ſpreto conventorum jure, ſociis ut mancipiis imperârunt, Corinthios induciarum tempore, & quidem in fedus receptos, bello Corcyrenſi laceſſiverunt, aliáque in ſpeciem utilia, neglectis aut callidâ detorſione eluſis pactis, perpetrârunt: ruere in exitium ſuum, cum imperio etiam libertatem perdere. Non tam Peloponneſiacorum & Bœota-

Bœotarum virtute, quàm Dei manifeſtâ ultione: qui luem illis infandam immiſit; qui conſilia illorum pervertit; qui opes, quibus fidebant, exiguo tempore comminuit. Lacedæmonii & cætera perjuri, & graves faſtu ac ſævitiâ domini in eos, quos ex Attica ſervitute in libertatem ſe aſſerturos polliciti erant; brevi perfidiæ præmiis gaviſi ſunt; à Thebanis duce Epaminondâ acciſi, à Macedonibus propè exciſi. Pœnorum pœna, & perfidia Punica, notior ex hiſtoriis eſt, quàm ut lectori mecum recolenda ſit. Romani illi priſci, qui ejus imperii fundamenta jecerunt, ad quod exſtruendum virtus cum fortunâ conſpirârunt, in pactis obſervandis religioſiſſimi fuerunt. Digni ob id, à quibus inciperet tanti imperii majeſtas, quod jura gentibus propè univerſis exculti orbis daturum erat.

Nam quod ad Caudinam & Numantinam pactiones, eæ verò populum Romanum & Senatum non obligárunt, ab iis, qui federum ſanciendorum nullum jus habuerunt, initæ. Fallacias eorundem, argutiolis & cavillis coloratas, quibus Antiochum Aſiatico, Carthaginienſes bello Pu-

nico tertio circumvenerunt, non excuſo; leviùs tamen quàm apertam & impudentem perfidiam tolero. Illi enim dimidium navium reddere pacti, ſingularum navium diſſectarum dimidiam partem, ne bello uſui aliquando forent, reddiderunt: his civitatem illæſam fore polliciti, ſi arma & naves traderent, Urbis mœnia & tecta, ut quæ civitatem non conſtituerent, ſolo æquârunt. Eodem cenſu mihi ſunt illi, qui triginta dierum inducias pacti, noctu inopinati agros hoſtiles depopulati ſunt. Cave, cave ab iſta verborum perplexitate, cui generoſi pectoris, cui ſinceræ mentis gutta: Deumque perjuriorum vindicem, verborum captiunculis non irretiendum, verere. *Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen qui conſcientiæ teſtis eſt, ſic illud accipit; ſicut ille, cui juratur, intelligit: Iſidorus.*

V.

P*Arentes regni æmulos, aut æmulationis inſimulatos, necare.* Agrippinam matrem Nero per Anicetum libertum ſuſtulit: impotentem ſanè mulierem & quam interire, tam tutelæ Neronis quàm reip. intereſſe videbatur. Sed fuerit

fuerit illa femina exitio digna; digna, quæ à filio interiret, non fuit: nec ſcelere matris filii ſcelus tegitur. Parricidii, quod à jure, ſi quod eis jus, brutorum abhorret, ne dum hominum; nulla ſatis juſta cauſſa eſt. Ei enim vitam eripere, quæ tibi vitam dedit, pluſquam ferina rabies eſt. Nec ejus cæde, id quod prætexitur, ſuæ regnive ſaluti conſultum ivit. Ab eo enim tempore in omne flagitium prolapſus, dedecori ſibi, generi humano horrori fuit: exitiumque multis, ac tandem ſibi, paravit. Fuerat igitur utriſque conſultius, Neronem timore æmulæ, & quadam etiam reverentiâ, ne ſcelerum latentia monſtra in perniciem proſerperent, coërcere. De immanitate crudelitatis in fratres & agnatos, cum ſuprà actum ſit, hîc non repeto: ne illud audiam μαψυλάκας, Διὸς κόρινθος.

VI.

Sævitiâ promiſcuâ, ſed maximè illuſtrium; vaſtitatem facere, ne ſint quos ἀντιτέχνους καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἐμποδίους timeas. Hujus portenti certi quidam gradus ſunt: nec uno ictu crudelitas ſe effundit. 1. Tarquiniana papaverum de-

cuſſio, & majorum piſcium captura. 2. Percuſſorem in viros generoſos, & quoſvis levi de cauſſa tibi ſuſpectos, immittere. 3. Indicta cauſſa ſupplicio quenquam afficere. Quod tamen cum exceptione ſceleribus accenſemus. Nam quorum adeò notorium crimen eſt, ut nullus dubitationi ſit locus; à quibus certum principi vel ſtatui exitium imminet; quibuſcum lege agere ſine motu rerum non poſſis: eos etiam inauditos tollere, reipſâ ſatis convictos, nihil vetat. Nec adeò deliquit Tiberius in proceſſu Sejani, nec clandeſtinâ Clementis Agrippæ Poſthumi ſervi interfectione. Ægrè defenderim Titi Veſpaſiani facinus, qui A. Cæcinam conſularem virum, ad cœnam vocatum, confodi juſſit; ſuſpectum ſibi, deprehenſo apud illum chirographo conjurationis præparatæ indice. 4. Diſſidia & mutuæ cædis cauſſas inter cives, factiones ad perniciem erupturas inter nobilitatem ſerere. 5. Inſontes ad pœnam rapere. Et hoc in quibuſdam caſibus controverſiâ non caret. Nam læſæ Majeſtatis convictorum, & in necem Principis conjuratorum liberos tolli, & conſuetudine receptum, & L L. defenſum, cernimus.

cernimus. Nec, quâ defendatur ratione, vacat ea crudelitatis ſpecies. Nam & paterna ferocitas timetur, juxta illud Tragici, Troadib. act. 2.

Generoſa in ortus ſemina exſurgunt ſuos.

Et ultio cædis paternæ, ubi data facultas, metuitur: & liberorum amore ab ejuſmodi facinore homines projectæ audaciæ abſterrentur. 6. Milite immiſſo, plebem cum nobilitate trucidare: καὶ διαφθείρειν λάθρα καὶ φανερῶς, καὶ φυγαδεύειν: Ariſt. v. Polit.

Quod Campanella Hiſpanis quaſi excuſando exprobrat; neceſſitatem vocans, non crudelitatem: ut qui ob raritatem Hiſpaniæ indigenarum, crebraſque & longinquas eorum expeditiones, tam latè diffuſis, tam populoſis terris præſidia imponere & frenum injicere non poſſint, niſi ad paucitatem earum incolas redegerint. Quod quam juſtè de Hiſpanis tradat, aliorum eſto judicium. Nam nec Inſubres, nec Campani, aut Siculi, mutare dominum properant: & ſævitia in miſeros Americanos haud regio aut publico regni conſilio ſuſcepta: & hiſtoriæ belli Belgici Albano Duce, ejuſque cauſſæ, variè traduntur.

N 6 7. Nec

7. Nec ſexui nec ætati, nec ordini imbelli parcere: qui ſupremus immanitatis cumulus eſt. Quem Patrum memoriâ complevit Ioannes Baſilides Magnus Dux Moſcoviæ: non bello, nec in hoſtes, ſed alta domi foriſque pace, in fidiſſimos ſibi cives, aut miſeros captivos. An ſævitiâ delectatus? an ut terrore opinionem Majeſtatis ſibi conciliaret? Quo quidem non æquavit modò, ſed exceſſit feritatem Phalaridis, qui ſuppliciorum ſpectaculo fruebatur, ſed non niſi de ſontibus ſumtorum, & novitate generis atrocium.

VII.

Tupris, adulteriis, inceſtu potentiam roborare. Quod fieri ſolere, quia auribus abſonum, exemplis confirmandum eſt. Neronem à matre ad ſtupri conſuetudinem pellectum, quo æquiori animo imperium commune haberent, conſenſiſſe, non vani rumores arguebant. Abſolon ex Achitophelis, acutiſſimi Politici, conſilio concubinas Patris in propatulo iniit: ut omnibus conſtaret, rem non ſimulatione obumbratam, aut pœnitentiâ revocandam ſuſceptam. Credo etiam conſiliatium

ſiliarium illum nequam voluiſſe inſigni ſcelere juvenem involvere, quo ſpe eum Patre in gratiam redeundi ſublatâ, ipſe quid ſequeretur certus eſſet. Auguſtus adulteria exercuit, non libidine, ſed quò facilius conſilia adverſariorum per cujuſque mulieres exquireret: niſi vanus Tranquillus autor. Sejanus Liviam Druſi uxorem permoluit: ut per eam arcana viri noſcitaret, exitiumque illi maturè ſtrueret. Nonnulli mares ad regni ſpem admotos fœdo congreſſu averſæ veneris polluerunt, ut à regni habenis, ut inepti, removerentur. Inter quos & Nero, qui pueritiæ Britannici illuſiſſe credebatur. Hi, quod mirere, omnes quos forte oblatos nominavi, nullos liberos regni hæredes reliquerunt: plerique & ipſi fœdâ morte interierunt.

Ne Auguſtum quidem eximium habeas: qui ut aliorum uxores adulterio cognovit, ita turpe filiæ adulterium gemuit: imperiique tutelam privigno, non filiæ, non nepotibus, uti ſperaverat, tradidit.

Imperii igitur majeſtatem, rem inter Deum hominesque auguſtiſſimam, ſpurciſſimo & vel mancipia

deprimente more ſtabilire, ne confidas.

VIII.

P*Ennas ita incidere, ut renaſci nequeant;* remque omnem ſubditorum cum pulviſculo auferre. Id quod variis modis fieri ſolet. 1. Militum immiſſione, qui diripiant, vel in domos diſtributione, qui lentis maxillis exedant. 2. Vectigalium, tributorum, exactionum gravitate: non avaritiâ, aut neceſſitate fiſci: ſed ut profundendo in peregrinos, hiſtriones, adulatores, prodigos, & id genus hominum, tenues res facias civium tuorum. 3. Negotiationum & redituum imminutione. 4. Ad direptiones & vaſtationes hoſtiles connivendo. Quæ frangendis civium animis, rebellionique præveniendæ olim, & nunc, ſumta.

Quod contra quàm cogitatum cadit. Nam, ut res eſt timida Opulentia, expedita verò paupertas; fit ut quiſque arcæ ac fundo ſuo timens, res novas non exoptet, facilique obedientiæ jugo teneatur; exemti autem fortunæ quaſi onere, deſperatione ipſâ ad ſpem & vota accingantur; re-

rum

rum amiſſarum dolore, & reciperandarum confidentiâ. Dionyſius minor, à ſuis ad egeſtatem redactis regno pulſus, Corinthi ludum literarium aperuit: cujus parens, florentibus Siculorum rebus florens, ipſe ad exitum vitæ præfuerat. Nonnulli, quibus major eſt animus, copiarum, ne omnes amittantur, partem comparandis armis & conducendo militio impendunt. Et acerbitate exactionum, quàm crudelitate ſuppliciorum, citiùs ad vindictam irritantur animi. Funera, luctus, cædes non perinde univerſos movent: quæ fulminum more, quibuſdam tactis, cæteros fugant magis, quàm ſiſtunt.

Facultatum, quæ ſanguis & vita mortalium, privatio, ad omnes pertinet: eoſque quos læſit, non tollit; & cum opibus animum non eripit.

IX.

Res imperii abalienare: & quæ ſunt publici juris, à corpore abſtracta, privatis donare; vel exteris divendere: *Fœdera ſociis, Latium externis dilargiri: his tributa dimittere; alios immunitatibus juvare: denique nullâ in poſterum curâ, lacerare imperium.* Tac. 3. Hiſtor. Diverſa hæc à præce-

præcedentis capitis direptione prædatio. Peccabatur ibi privatâ ſingulorum, hîc publicâ univerſi injuriâ; ibi ablatione, hîc largitione; ibi majori vulgi doloris ſenſu, hîc incuriâ ejus, plerumque & lætitiâ. Damnum tamen hîc eò majus, quanto publica præſtant privatis, eorumque caſus horum ruinam involvit. Hoc nomine malè audit Carolus IV. & Sigiſmundus pro Venceſlao filio nitens: cæteris in rebus non inutiles Germaniæ Imperatores. Ineptior fuit, quàm ut calliditati tribuatur, Neronis impetur, volentis cuncta vectigalia tollere; idque pulcherrimum, ut prædicabat, donum generi mortalium dare. Quem Sapienter repreſſit Senatorii ordinis moderatio: *diſſolutionem imperii docendo, ſi fructus quibus Reſpublica ſuſtineretur, deminuerentur. Quippe ſublatis portoriis, ſequens ut tributorum abolitio expoſtularetur.* Tac. 13. annal. Nec Reipublicæ modò, ſed Dominationis etiam, cui fulciendæ ficulneum hoc pedum arripiunt, durationi repugnat immoderata publici diſtractio.

Imagine

X.

IMagine juris & exercendarum legum excellentiſſimo cuique ingenio exitium ſtruere. Quod quanquam capite de ſævitia comprehendi potuiſſet, peculiarem tamen ei non ſine cauſſa aſſignavimus locum: quia hîc non modò in corpus & vitam, ſævitur; ſed in famam; ſed in memoriam defuncti. Nam ut ſontes & legibus convicti, duci jubebantur, ſepulturâ etiam prohibitâ: memoriæque eorum & familiæ atra notæ macula inurebatur. Præterea bona cæſorum, niſi voluntariâ morte ſententiam judicum præveniſſent, partim in fiſcum rapiebantur, partim vulturibus delatorum præda fiebant. Non igitur ſimplex hîc ſævitia, ſanguine & vitâ civium contenta: ſed quæ cum vita fortunas, &, cujus flebilior jactura, famam invadit. Quæ generi hominum exitio reperta machina, non una cauſſâ impellente torquebatur. *Nobilitas, opes, omiſſi geſtique honores pro crimine; & ob virtutes certiſſimum exitium.* Nec ſimplici inſtigatorum præmio: *cùm alii ſacerdotia & conſulatus ut ſpolia adepti, procurationes alii & interiorem potentiam, agerent ferrent cuncta.* Tac. 1. Hiſtor.

Nec

Nec uſitata concludendi indagine. *Odio & terrore corrupti in dominos ſervi, in patronos liberti: & quibus deerat inimicus, per amicos oppreſſi.* ibidem. Coronidis loco addo aliud crudelitatis genus, qua linguæ & aurium, ad mutuum ſocietatis vinculum homini datorum, uſus interdicitur. Quo ſe ergaſtulo conſtrictum fuiſſe noſter conqueritur, in Vita Agricolæ. *Dedimus profectò grande patientiæ documentum, & ſicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate eſſet; ita nos quid in ſervitute, ademto per inquiſitiones & loquendi audiendique commercio, Memoriam quoque ipſam cum voce perdidiſſemus, ſi tam in noſtrâ poteſtate eſſet obliviſci, quàm tacere.* Sed & affectus, qui ægrè compreſſi vel inviti erumpunt, humani vel animales, potiùs, appoſitis qui vultus & ſuſpiria ſcrutarentur, crimini dati. Quod crebrò factitatum ſub Tiberio. *Ne feminæ quidem exſortes periculi: quâ occupandæ Reip. argui non poterant, ob lacrymas incuſabantur. Necataque eſt anus Vitia Fuſii Gemini mater; quòd filii necem fleviſſet.* Tacit. 6. annalium. ſub Domitiano Tiberii admiratore. *Nero tamen ſubtraxit oculos, juſſitque ſcelera, non ſpectavit. Præcipua ſub Domitiano miſeriarum pars erat adſpici, cum ſuſpiria noſtra ſubſcri-*

ſubſtriberentur; cum denotandis tot hominum palloribus ſufficeret ſævus ille vultus, & rubor, à quo ſe contra pudorem muniebat. Tac. in Vita Agricolæ.

Varias conſervandi dominii vias, rectas, obliquas, devias perluſtravimus. Quas omnes ſupervacuas eſſe; faciliorique manu teneri, quàm occupari, imperia, aliquis docuerit. *Primas dominandi ſpes in arduo; ubi ſis ingreſſus, adeſſe ſtudia & miniſtros.* 4. annal. Ita Druſus de Sejano faſcibus imperatoriis imminente. Non diverſo ſenſu de eodem, ſed ſuo more & cum morſu, Juvenalis:

> ——— *idem populus, ſi Nurſcia Thuſco*
> *Faviſſet, ſi oppreſſa foret ſecura ſenectus*
> *Principis, hac ipſa Sejanum diceret horâ*
> *Auguſtum.*

Quod ita eſſe non diffiteor: plebem in theatris novo Principi applauſuram, Patres in curia divinas occupationes conformaturos, omnibuſque ſermonibus ejus, dictiſque ac factis omnibus Euge acclamaturos. Verùm eâdem levitate reſilient, potentiori ſuperveniente; laudibuſque paullò ante cumulatum in gemonias trahent.

Frans

Seneca, Hippolit. act. 3.

Fraus ſublimi regnat in aulâ.
Tradere turpi faſces populus
Gaudet. Eoſdem colit atque odit.

Nec fraus modò invidiæ pediſſequa: ſed & metus, & gratificandi potentiori ſtudium, & rerum novarum aviditas. Quæ omnia in fortunam tuam inclinantem incumbent: ipſorum, qui ſuſtinent, onere propellendam. Quare ne nimium fidæ infidæ aſſeclarum turbæ, flexis te poplitibus venerantium. nec adeptus regnum, tibi ut ſupra omnia humana bona elato; quò nec triſtitia nec invidia tela conjicere poſſint, gratulare. Spinis incedis, roſarum amœnâ ſpecie allicientibus: viperis inambulas malè ſopitis, & virus tempori promendum abſcondentibus. Lubet cum Tragico noſtro, lacrymabilem Oedipi, præter ſpem ad regnum evecti, ſtatum facundè proſequente, exclamare:

Quis quamne regno gaudet? ò fallax bonum;
Quantum malorum fronte quam blandâ tegis!

Nec vitæ modò, & ſalutis, diſcrimen principatus adfert, ſed morum quoque, & honeſtatis.

Vt

Vt nemo doceat fraudis & ſceleris vias,
Regnum docebit. Thyeſt. act. 2.

Nam præterquam quod adulatores irrepunt, pravi alienæ potentiæ magiſtri; magna fortuna uti virium, ita cupiditatis modum neſcit. Nec inconcinnè noſter: *ipſo Veſpaſiano, inter initia imperii, ad obtinendas iniquitates haud perinde obſtinato: donec, indulgentiâ fortunæ, & pravis magiſtris, didicit, auſuſque eſt.* 2. Hiſt. Ergo non ſolum *ἁ ἀρχὰ τὸν ἄνδρα δεικνύει*, ut ſapientum priſcorum aliquis docet, verùm etiam aliquando *διαφθείρει*. Licentiâ ad illicita abripimur: & quantò plura poſſumus, plura ſumimus. Hac itur ad præcipitia viâ; per diſcrimina ad majus diſcrimen. Tu qui vera potiùs cum ratione, quàm fortuita ex opinione probas, ſceptrum & diadema ſplendentemque togam, non quâ apparet facie, ſed velo diſcuſſo interiùs contemplatus abi! nec tibi imponat errantium populus, extra ſe potiùs, quàm in ſe, felicitatem quærentium. Non certè mihi, qui Attalicis conditionibus animi tranquillitatem permutare nolim.

Stet

Thyeſt. act. 2.

Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico :
Me dulcis ſaturet quies ?
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar otio .
Nullis nota Quiritibus
AEtas per tacitum fluat.
Sic cum tranſierint mei
Nullo cum ſtrepitu dies
Plebejus moriar ſenex.
Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi.

Cæterùm Auguſtus ſubſidia dominationi, &c.] Geminus verborum hujus paragraphi ſcopus. 1. De prudentia Auguſti in providendis & provehendis hæredibus, iiſdemque æquilibrio quodam conferendis. 2. De Tiberii fortuna, vel dolo potius Liviæ, ad quem ſummotis omnibus ſumma rerum reclinavit.

Cl. Marcellum, populi ac Auguſti delicias, ampliſſimorum honorum ob ætatem nondum capacem, Pontificatu & Curuli Ædilitate, qui gradus ad majora, ornavit. M. Agrippam ſpectatum bello virum, & ætate maturum, geminatis conſulatibus (id eſt,

con-

connexis, nec annorum interſtitio ruptis) evectum, propè ſolium ſuum collocavit. Neronem & Druſum privignos, quibus exercitus ad Rheni & Danubii, ubi maximæ copiarum vires & belli moles, ripas ductandos commiſit, Imperatoriis nominibus auxit. Cajo ac Lucio è filia nepotibus, cum in familiam Cæſarum eos induxiſſet, Principum juventútis nomen impetravit.

Germanicum Druſi filium, adoptari à patruo juſſum, validiſſimis ad Rhenum legionibus præfecit.

Quâ diſpenſandi diligentiâ non id modò effecit, ut civium conatus & ſpes improbas comminueret; ſed ut ab ipſis hæredibus tutior eſſet, omnibus ingenti beneficiorum cumulo devinctis, nullo tamen ita eminente, ut non à cæteris, innuente Auguſto & ſacra ſua pulſante, compeſci & in ordinem redigi poſſet.

Hanc tamen æqualitatis hæredum trutinam inexorabilis fatorum vis, vel gravis ipſorum inter ſe ſimultas, & maximè Tiberii ac matris Liviæ iniquitas, ita concuſſit, ut reliquis gradu detruſis ad Tiberium cuncta vergerent. In Marcellum enim, bonum & incau-

incautum juvenem, deprimendum Agrippa, Livia, & ut putabatur ipſe Auguſtus anniſi ſunt. De Agrippâ Suetonius: *Cum ille ex levi rigoris ſuſpicione & quòd Marcellus ſibi anteferretur, Mitylenas ſe, relictis omnibus, contuliſſet.* In Octavio, cap. 66. quod, mihi videtur, movendæ in Marcellum invidiæ, fortè & per abſentiam aliquid machinandi, ſuſpicionis integer, fecit. De Livia Dio: *Αἰτίαν μὲν οὖν ἡ Λιβία τοῦ θανάτου τοῦ Μαρκέλλου εἶχεν, ὅτι τῶν υἱέων αὐτῆς προετετίμητο.* De Auguſto noſter: *ſuberat occulta formido reputantibus, haud proſperum in Druſo patre ejus* (Germanici) *favorem vulgi, avunculum ejuſdem Marcellum flagrantibus plebis ſtudiis intra juventam ereptum, breves & infauſtos populi Romani amores.* 2. annal. De morte Druſi & ejus cauſſâ ſuſpectum fuiſſe populo Auguſtum, alibi quoque Tacitus tradit. Et fuére, qui ſcriptis mandarent, *revocatum ex provincia, & quia cunctaretur, interceptum veneno.* Cauſſa ejus rei ab Auguſtæ hiſtoriæ ſcriptoribus inſinuatur, quòd de cogendo ad reddendam populo rempublicam Auguſto conſilia captaverit. Quæ ſuſpicio refutatur à Dione, qui ex equi lapſu in Germania, exſtinctum magno Auguſti

guſti luctu, tradit, lib. 55. & à Suetonio in vita Claudii, cap. 1. à Tacito, lib. 3. annalium. Et à ratione ipſâ. Cur enim Druſum filium Livia vel Auguſtus odiſſent, morum quam Tiberium elegantiorum, ac promtioris obſequii? illa autem cogitatio de reddenda populo republicâ, ex credulitate vulgi orta, quia non imperavit: & in odium Tiberii: idem de Tiberio ſparſuri, ſi Druſus imperâſſet. Cajum & Lucium Cæſares, qui ſoli ſpei ſuæ obſtiterunt, Tiberii & Liviæ dolo occidiſſe, rumor validior eſt: nec abhorret à vero. De fratre eorum Agrippâ Poſthumo, inſula Planaſio incluſo, & poſtea interfecto; De Germanici caſibus & interitu, noſter abundè, hoc ipſo & ſequenti libro.

Claudium Marcellum] Hujus laudes plenis tibiis decantant, Maro, 6. Æneid. Propertius, Elegia huic rei propriâ; Seneca, Conſolat. ad Marciam. Hunc ut Liviæ fraude interiiſſe, non contra ivero; ita Auguſti conſenſu ſublatum, mihi non ſit veriſimile. Repugnat hoc moribus Auguſti; repugnat indoli Marcelli; repugnat judicio ipſius Taciti, in ſuſpiciones nimis aliàs proclivis: qui hoc ipſo ver-

borum contextu in nullius unquam ſuorum necem durâſſe eum aſſerit.

. Nec tam effuſus in laudem ejus Maro fuiſſet; homo Mæcenati intimus, & per eum ipſius Auguſti menſæ admotus, niſi vitam illius probatam Cæſari, & obitum dolori fuiſſe intellexiſſet.

M. Agrippam ignobilem loco] Multorum tamen virorum & feminarum illuſtrium, inter quos & Imperatores, Patrem, avum, proavum. Nec id mirandum adeò, cum ipſi principatûs Romani fundatores tenui origine prodierint: more ingentium & per terrarum orbem celebrium fluviorum, qui ab exiguo fonte & vix perveſtigabili proſiliunt. Flavius Veſpaſianus, in quem primum Lege regiâ latâ omnem populi poteſtatem delatam viri eruditi credunt; à quo Flavii denominari Imperatores aliquot pòſt ſeculis gaviſi ſunt; obſcuro genere & ſine ullis majorum imaginibus fuit.

Rebellione trium principum & cæde incertum diu, & quaſi vagum imperium, ſuſcepit firmavitque tandem gens Flavia: obſcura illa quidem, ac ſine ullis majorum imaginibus, ſed tamen Reipub. nequaquam pœnitenda. Sueton. in Veſpaſ. cap. 1. Ipſi Auguſto

guſto M. Antonius libertinum proavum exprobravit, reſtionem è pago Thurino, avum argentarium; materni generis proavum Afri generis, modò unguentariam tabernam, modò piſtrinum Ariciæ exercuiſſe. Vide Sueton. cap. 2. & 4. Ut jam mirari deſinamus, primos Hebræorum Reges, ipſius Dei inſtinctu, ab aſinis & ovibus ad ſceptra productos; Piaſtum ab agricultura ad regnum Poloniæ promotum, juſtè prudenterque illud adminiſtrâſſe, poſteriſque per longam annorum ſeriem reliquiſſe. Nulli non Reges ab agricolis prognati: ſi ad antiquiſſimam originem reſolvantur.

In familiam Cæſarum induxerat] Cæſares illo ævo, & qui imperitabant, & qui in omen imperii fovebantur, dicti: declinante ſeculo, Cæſarum nomine hæredes imperii veniebant. Quem locum in Germanico imperio, quod Romanum ſucceſſione & titulo adumbrat, ſupplet Rex Romanorum, qui Bojemis & Pannonibus inferioribus præeſt. In Hiſpania Infantes eoſdem nominari, ſed ſine imperii adminiſtratione; niſi forte ad provinciam aliquam regendam miſſi fuerint, obſervatum. Galliæ & Britanniæ

O 2 regna

regna ſuos Delphinatus & Cambriæ regulos habent, vocabula ex pactione nata. Sed mihi alia tela percutitur: hæc ἐν παρόδῳ.

Specie recuſantis flagrantiſſimè cupiverat] Qui ἀκκισμὸς Auguſto non minus adfuit, quàm Tiberio : ſed gratior in illo, quod moderatione temperabatur & rariori uſu. Nihil enim æquè faſtiditur, quàm quæ frequenti attritione ſeipſam prodit ſimulatio.

Quaestio I.

Vine an prudentiâ imperium tutius habeatur.

Pro vi, militant hæc argumenta.

I.

Imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum eſt. Atqui vi & manu militari partum eſt. Ergo.

II.

Vis ex univerſis ferocibus ſingulos, ſuo quemque metu, obedientes facit. Obedientiâ autem ſubditorum, optima metûs prole, regna conſervantur.

Nihil

III.

Nihil magis convenit regi, quàm majeſtas terrore cincta. Hunc ubi remiſeris, precariò regnatur.

IV.

Terrore & vi maxima regna à barbaris nationibus, tot retrò ſeculis occupata, continentur. Ita Hunni Pannoniam; Longobardi Italiam; Gothi Hiſpaniam; Franci Galliam, partemque ejus Normanni; Angli Britanniam; Turcæ tantum cultiſſimarum olim & ratione ſitûs commodiſſimarum terrarum tutati ſunt. Romani ipſi coloniis deducendis, & his quos Galgacus Caledoniæ dux exprobravit, moribus tantum imperii coërcuére. *Auſferre, trucidare, rapere falſis nominibus imperium; atque ubi ſolitudinem faciunt, pacem appellant.* In Vitâ Agricolæ. Deductis verò à Conſtantino præſidiis, & milite omni exauctorato, irruptio barbarorum ſecuta eſt, & illa imperiorum per Europam commutatio.

Pro Conſilio.

I.

UT navis arte torquetur; & equi facili freni ductu reguntur: ita reip. corpus conſiliorum animâ fovetur.

II.

CYclops, omiſſo oculo, integris viribus à trunco non diſtat. Circe autem, arte muliebri, ſocios Ulyſſis in horam ſuam compulit.

III.

N*Vllum moroſius animal eſt, nullum majori arte tractandum, quàm homo.* Seneca, 1. de Clement. Fœnere ſumtum, ut videtur, ex illo Xenophontæo: Πάντων τῶν ἄλλων ζώων ῥᾷον ἢ ἀνθρώπων ἄρχειν.

Atqui ne lupos quidem & urſos perpetuo verbere cicuramus: leones autem ligneo quàm ferreo clathro meliùs concludimus: & equos generoſos rariùs flagello, ſæpè poppyſmo demulcemus.

IV.

ARiſtoteles huic ſententiæ accedit, lib. 3. Politic. Ἡ φρόνησις ἄρχοντος ἴδιος ἀρετή. Et Syneſius, libro de regno: Κόσμος μὲν οὖν βασιλέως ἀρεταὶ πᾶσαι, φρόνησις δὲ ἁπασῶν βασιλικωτέρα.

V.

EXcellentibus ingeniis citiùs defuerit ars, quâ civem regant, quàm quâ hoſtem ſuperent. Livius de Fabio. Majoris igitur moliminis, & à prudentia movendi, civem frenarê quàm hoſtem domare.

VI.

AUguſtus & Tiberius aſtutiâ regnum tenuerunt; quod aliquis vi innixus perdidit.

Deciſio.

PRudentiam ſic facimus conſervatricem regnorum, ut tamen præſidium armorum non excludamus. Imò hoc ipſum eſt prudentiæ, latera armorum objectu munire. Hoc eſt, quod Horatius lib. 3. Odarum canit.

Vis conſilii expers mole ruit ſuâ.
Vim temperatam dii quoque provehunt
In majus.

Cui convenit illud Oratoris moralis; ῥώμη γὰρ μετὰ φρονήσεως ὠφέλησεν, ἄνευ δὲ ταύτης, πλείω τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε.

QUAESTIO II.

Auguſtumne Tiberius Imperatoriis conſervandi Statûs artibus ſuperaverit?

Tiberium fundamentis regni jaciendis imparem futurum fuiſſe, non detractâ ei conſervandi partorum ſcientiâ, ſuo loco demonſtravimus. An verò ſuperior Auguſto in hoc cenſu ſit habendus; digna diſquiſitione dubitatio eſt. Nos pernegamus; Tiberiumque Auguſto etiam in hac claſſe ſubjicimus, moti his maximè rationibus.

I.

Auguſtus filium ſororis, & qui præterea ſanguinis conjunctione ſe contingebant, in munimentum dominationis fovit. Tiberius fratris filium & nepotes in gratiam eorum qui regno inſidiebantur, ſuſtulit.

Augu-

II.

AUguſtus in amicis eligendis non erravit.

Tiberius hominum nequiſſimum Sejanum, & poſt hunc Macronem, in ſuam ſuorumque & populi perniciem, extulit.

III.

AUguſtus non deſeruit caput & viſcera imperii; vel Romam ſedem premendo, vel ad exercitus excurrendo.

Tiberius undecim per annos amœnis Campaniæ & Caprearum locis delituit; Sejani libidini vel caſibus fortunæ urbem objectando.

IV.

AUguſtus judicio ſuo amicos & inimicos diviſit.

Tiberius ad odium & amorem alieno tractu ferebatur. *Ut quiſque Sejano intimus; ita ad Cæſaris amicitiam validus. Contrà quibus infenſus eſſet, metu ac ſordibus conflictabantur.* Tac. 6. annal.

V.

AUguſtus deceſſit ſucceſſoris certus. Tiberius, cui traderet remp. regendam, diu quæritando: *mox incertus animi, feſſo corpore, conſilium cui impar erat fato permiſit.* ibidem.

VI.

AUguſtus benevolentiam apud cives & auctoritatem firmiſſima regnorum ſubſidia, juxtà ſervavit.

Tiberium plerique oderant, nec pauci contemnebant.

Quam intimam cauſſam ſeceſſûs ab Urbe fuiſſe; quod ſe videret contemtui eſſe ob gracilitatem crurum, & indecoram oris formam, recoleretque memoriâ veteres & recentes odii cauſſas, non vanè argueris. Argutè quidem Tacitus pro ſagacitate ingenii ſui & indagandi curâ fabam hanc in Sejanum cudit, multa providentem: *Suâ in manu aditus, literarumque magnâ ex parte ſe arbitrum fore, cùm per milites commearent: mox Cæſarem vergente jam ſenectâ ſecretoque loci mollitum, munia imperii faciliùs tranſmiſſurum: & minui ſibi invidiam, ademtâ ſalutantum turbâ; ſublatiſque inanibus, verâ potentiâ augere.* 4. annal. Quia tamen

tamen ſcelere Sejani deprehenſo & punito, Tiberius in urbem non rediit: vereor ut Sejani magis ductum, quàm ſuum impetum ſecutus, vitato populi accurſu, ſolitudinem quieti aptam elegerit.

VII.

AUguſtus reip. navim, ſcientiâ & cura regendi, incolumem traduxit: foris pace, domi quiete reportatâ.

Tiberius miſerandam rerum faciem, & pacem bello triſtiorem induxit. Non autem vocaverim bonum Imperatorem, qui à ſcopo regendi, tranquillitate & ſalute civium, ſponte aberravit; ut nec bonum gubernatorem, qui ſui tantum ſervandi ſolicitus, mercem & vectores temerè ejicit.

VIII.

NE ipſa quidem Simulandi & Diſſimulandi arte, quâ tantoperè ſibi palpabat Tiberius, Auguſtum à tergo reliquit. Quod ſequenti Quæſtione explanandum.

QUAESTIO III.

VTrùm enormis Tiberii ſimulatio moderatæ Auguſti præferenda?

Tanta Tiberio ſive naturâ ſive meditatione ſimulationum involucra tam mordicùs adhæſerunt, ut nonniſi cum vita deponi potuerint. *Iam Tiberium corpus, jam vires, nondum diſſimulatio deſerebat.* Tac. 6. annal. Atque eàm quidem diſſimulandi partem, ab Auguſti conſuetudine tractam, qua actionum prima fronte laudabilium ſcopus tegebatur, ſalutariter ſibi & regno adhibuit. *Nec patrum cognitionibus ſatiatus, judiciis adſidebat, in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret: multáque eo coràm, adverſus ambitum & potentium preces conſtituta. Sed dum veritati conſulitur, libertas corrumpebatur.* 1. annal. Cognitionum aſſiduitate, & judicandi ſeveritate, rebus in populoſa urbe utiliſſimis, infinitæ dominationis inſatiabilem cupiditatem, quaſi picta informi parieti aulæa, obtendit. Multa præterea alia, vel utilitatis umbrâ obducta, ipſe obiit, vel veteris reip. imagine decorata Patribus conceſſit: *ſpecioſa verbis, re inania, aut ſubdola: quantóque majore libertatis imagine tegebantur, tantò*

tantò eruptura ad infenſius ſervitium: idem, ſub finem primi voluminis.

Eam verò diſſimulationem, ne magiſtro quidem ipſius ignaram, quâ aliud fronte & verbis præferebat, aliud cogitatione claudebat, crebrò & ſine modo advocavit. Quo id aſſecutus eſt, ut omnibus methodum aſtutiæ rimantibus, aut detegerentur conſilia, aut fluctuante aſſenſu laberentur. Contrarietate inſuper actionum ſe ipſe ſæpè refutavit: ita ut veris quoque fidem demeret. Quorſum enim attinuit, Germanici cineribus allatis, omni ad exſequias effuſa Italiâ, quaſi luctu qui modum neſciat præpeditum, publico abſtinere: Druſo autem unico filio exſtincto, nihil omiſſis publicorum negotiorum curis, omnem luctûs formam amovere?

Ergo jam vulgatis arcanis, cum non modò viri prudentes, ſed vulgus civium contrarium ejus quod verbis & factis oſtentabat, ſequerentur: huc vertit, ut vel affectum eum quo verè indutus erat, quaſi fictum promeret, vel oratione in utrumque ſuſpenſâ, vultum ita componeret, ut nullum animi certum ſignum promineret. Quod cum alibi, tum inprimis Piſo-

nianâ actione elucet. Cum enim videri vellet lætari morte Piſonis, & vindictâ de Germanico ſumtâ: *flexo in mæſtitiam ore, ſuam invidiam tali morte quæſitam apud ſenatum, crebriſque interrogationibus exquirit, qualem Piſo diem ſupremum, noctemque exegiſſet.* Vide nutantem ejus, & in utramque ſuſpicionis partem flexam orationem, quam die Senatûs meditato temperamento habuit. 3. annal. O virum, exclamabis, callidi ingenii; &, quod eſt verè ſapientis, ſibi conſulentem! Meo quidem judicio, nec prudentem ſemper animum arguit ſimulatio, nec bono in omnibus fit uſurpantis. Nam & Caligula, *etſi commotus ingenio; ſimulationum tamen falſa in ſinu avi perdidicerat.* 6. annal. & Nero Domitianuſque toti in hujus rei meditatione fuerunt. quorum tamen nullus vel gloriæ ſuæ vel vitæ conſuluit. Quid? quod ſimulatio, niſi tempeſtivè & ubi convenit ſumatur, in re præſenti læſerit. Ut Vitellium rumores belli Flaviani opprimentem, luxumque pacis altiſſimæ præſumentem: & ipſum Tiberium quo morbum diſſimularet, nihil è libidinibus omittentem, epulaſque & ingluviem inſtaurantem. Quibus rebus quem tegere

gere volebat morbum, auctum acceſſivit: nec mortem artubus irrepentem ſimulato corporis vigore, & diſtentis cibo viſceribus, abſterruit. Moderatam igitur & aſtu aut raritate tectam Auguſti diſſimulationem Tiberianæ & modum neſcienti prætulerim.

QUAESTIO IV.

VTrùm amici regii à genere, an à virtute ſint legendi?

Diſtinctè reſpondendum. 1. In novo regno, invitâ nobilium factione plantato, novos homines aut non multum dignitate præcellentes, virtute verò ſpectatos, eligere præſtat. Ita Auguſtus Cilnium Mæcenatem, equeſtri modò loco ortum, (quanquam Hetruſco regum ſtemmate prognatus videri volebat) arcanis ſuis propè ſolum adhibuit. Vipſanium Agrippam, terræ filium, exercitui præfectum, ſummiſque honoribus ornatum, generum tandem ſumſit: antea etiam de equite Romano in collocandâ filiâ meditatus. Tiberius neptibus ſuis maritos legit, L. Caſſium, & M. Vinicium: alterum Callibus ortum, equeſtri familiâ; alterum plebe;

plebe; Romæ generis. Ratio quæ illos moviſſe dici poteſt, non una eſt. Illuſtri enim loco natus aut de reddenda republicâ cogitaverit, aut intra terminos honoris non ſubſtiterit. Præterea non obligatum ſe ad rependendam Principi gratiam putaverit, quòd ſui generis dignitate hæc & altiora meritum ſe cogitet. Tenuium, & qui ſolo Principis beneficio; comitante virtute, facti grandes, major fides. Vel quod animum verè gratum ergà patronum gerant; vel quod ipſorum interſit, vivere & vigere auctorem fortunæ ſuæ. 2. In regno quod radices altè egit, generis adſpectum haberi, moris & rationis eſt. Nimirum ſi claritatem ſanguinis vitiorum non denigrent nebulæ: nec omnis excelſæ plebeji hominis virtuti aditus ad honores præcludatur. 3. In Turcarum tamen regno, omnium per tot ſecula florentiſſimo, ex militari ſola virtute (nec ſpernunt Turcæ modeſtiam, ſobrietatem, & cætera quæ ſunt probitatis) nullâ generis habita ratione, duces leguntur. Id quod in Stilicone laûdat Claudianus, Poëta poëticis nugis altior.

——— *lectos ex omnibus oris*
Evehis, & meritum; nunquam cunabula quæris,
Et qualis, non unde ſatus.

Nec hodie pœnitet vel Auſtriacum legionibus, vel federatos Belgas claſſibus, quoſdam nullarum imaginum præfeciſſe.

QUAESTIO V.

AN prudenter Auguſtus privignum collegam imperii aſſumſerit?

Quibus probare hoc factum animus eſt, dixerint, ſenectam Auguſti eguiſſe ejuſmodi adminiculo, ut & parte curarum levaretur, nec ætas mala deſpectui eſſet: utque ſucceſſor non dubius jam nunc imperio aſſueſceret; nec tranſitus rerum, qui magnis conatibus opportunus eſt, novi aliquid portaret. Tutari hoc ipſum potuerint concordi M. Antonini, & L. Veri, veréque fraterno imperio. Quod nonnulli ſequentium Imperatorum imitati, terni quaternique ſimul imperârunt. recentiori etiam Caroli V. & Ferdinandi Fratris exemplo ſteterint. Præterea Auguſtus Tiberio,

berio, cui jam vivax nimis videbatur, offam quà deliniretur objeciſſe videri queat; ne quod ex parte denegaretur, ſolus occupare cuperet. Præſertim cum non ita arcto vinculo in ſocietatem imperii cum receperit; ut non omnia auſpiciorum jura ſibi reſervaret, aut ad Germanicos exercitus refugium haberet. Quibus vituperatio facti magis placet, Liviæ nequam artibus, & ſenectuti Auguſti παραφρονούσῃ id tribuerint: non ſine prævio Tacito.

QUÆSTIO VI.

QUo conſilio Auguſtus Germanicum octo legionibus impoſuerit?

Defendendæ Rheni ripæ à Germanorum incurſionibus: eluendæ maculæ amiſſi cum Qu. Varo exercitus. Iſta quidem palàm. Occultè verò perfugium, ſi quid Tiberius machinaretur, in juvene, cujus indolem magis probabat, ſibi ſepoſuit. Voluit & exſpectationem populi ſuſpendere, qui Germanicum votis expoſcebat.

„ Bellum eà tempeſtate nullum, „ niſi adverſus Germanos, ſupererat: abolendæ

abolendæ magis infamiæ ob amiſ- „
ſum cum Quinctilio Varo exerci- „
tum, quàm cupidine proferendi „
imperii, aut dignum ob præmium. „
Domi res tranquillæ. „

Fructus relapſæ in Monarchiam reipublicæ; ſublata foris bella, domi ſeditiones. In portum ſubvecta navis, inque navale ſubducta, quæ fluctuum inſultu, piratarum aſſultu, rectorum & nautarum turbato officio labefactata, felici tempeſtatum commutatione luctarum obliviſcitur. Manſit hæc felicitas inſequentium quoque Imperatorum regimine: ſi tamen navis (quæ finem ſuum, niſi in altum evecta, non aſſequitur) felicitas quiete metienda: & quiete quidem non integra, ſed accuſationum carie exeſâ. Ne corpora quidem noſtra abundante otio benè habuerint: quæ motu invaleſcunt. Senectutem civitatis, graves mox morbos allaturam, non quietum populi ſtatum, eam temporum ſub Auguſto mutationem rectiùs fortaſſe dixeris.

Bellum eâ tempeſtate nullum] Quid cauſſæ, cur mutatâ reip. formâ, armorum uſus intepuerit? Non modò in civium ingenio ea quærenda, ſed &

in Principum aſtu. Negari non poteſt, liberâ repub. & ad ſummos honores viâ omnibus patente, efferbuiſſe animos cupiditate belli gerendi; & ubi hoſtis defuerit, domi quæſitum. Omnibus autem ex unius nutu pendentibus, ſubſediſſe animorum fervores, cohibitas ſeditiones, repreſſa bellorum ſemina. Verumenimverò artis Principum fuit, bella quovis modo ſopire, ne cives armorum uſu ferociores, & ad parendum duriores redderentur: nec cujusquam potentiam ducis contra ſe nimis augerent; aut ſi ipſis exercitus ducendus eſſet, abſentiâ ſuâ libertatem ſenatûs & motum popularem alerent. Cœptam igitur ab Auguſto artem Tiberius intendit: omnem bellorum gerendorum occaſionem declinans: adeò ut *Armeniam à Parthis occupari; Mœſiam à Dacis Sarmatiſque; Gallias à Germanis vaſtari neglexerit: magno dedecore imperii, nec minori diſcrimine.* Suet. in Tiber. cap. 41. Nec alia Caligulæ, quamvis in caſtris nato, & more gregarii militis educato, morum via.

Sub Claudio arma moveri, redacta in provinciæ formam Britannia cœperunt: regnandi ignorantia; an quia

ſatis

ſatis firmata potentia videbatur. Idem tamen *adeò novam in Germanias vim prohibuit; ut referri præſidia cis Rhenum juberet*. Tac. 11. annalium. Domitianus bellandi dum privatus eſſet cupidiſſimus, adeptus principatum ægrè ac parcè arma expediit: muſcas captare, ac ſtylo præacuto figere, & mox ferrum in jugulum civium ſtringere, tutiùs arbitratus.

Niſi adverſus Germanos] Fas mihi ſit de nobiliſſimâ gente, & quæ ſola eâ tempeſtate Romana arma provocavit, paucis φιλολογεῖν. *Germanorum* nomine, quicquid nationum Rhenum inter & Danubium, ad fines uſque Sarmatarum Dacarumque, Romana lingua comprehendit. De etymo nominis, placet viri eruditi conjectura: Gallorum linguâ (quam tamen eandem cum Teutonica fuiſſe mihi non perſuadet: & refutare in promptu eſſet, ſi otium & materiæ conditio pateretur) ita dictos quaſi bellatores. *Gerra* enim ſive Guerra antiquitùs, imò & hodie apud Italos ac Gallos, bellum denotat.

In ea gente diverſæ, ut fit, nationes diverſorum temporum ſcriptoribus claruerunt. Cæſari *Suevi*, & ab his proximi

proximi *Sycambri* utramque paginam faciunt. Tacito *Batavi* inprimis ex iis qui victam ripam coluerunt; transrhenanorum *Chatti*, &, quamdiu Arminio Duce gaviſi ſunt, *Cheruſci* celebrantur. Ammiano Marcellino & ejus ævi ſcriptoribus *Alemanni* in ore ſunt. Mox ***Francorum*** & *Saxonum* fama clara, donec à Carolo Magno omnes ſub unum imperii corpus redacti, & pietatis ac literaturæ habenis manſuefacti; ferociam priſcam exuerent, mutua diſſidia & æmulationem gloriæ ſeponerent. Commune omnium aut maximæ partis nomen fuiſſe Teutonum ſive Tuiſconum, indicio eſt, quòd & ipſi ſe **Deutſchen** & **Duytſchen** vocant; & à Danis **Tyſte**; ab Italis & Hiſpanis *Tedeſchi*; ab Anglis *High-or Low dytſch* appellantur. Gallis *La haute & la baſſe Alemaigne*, Alemannorum ad ripam Rheni formidabilem olim potentiam fuiſſe indicat. Populi ad Orientem diverſum ab his nomen uſurpant: haud ſcio an à Nemetibus, qui notiores iis fuerint: quos tamen ad Rheni tractum autores ponunt. Hungaris Germanus *Nimet*: Polonis *Niemiec*, caſu gignendi & accuſandi *Niemca*; unde, credo, Turcico-Arabicum

bicùm *Nemeza.* De moribus eorum antiquis, ſi modò antiquâ fide, abundè, Strabo, Tacitus, Cæſar, alii: quibus hodie utantur, oculis ducibus crede: cum nullus paullo cultior Europæ ſit angulus Germanis advenis vacuus.

Supererat] Cæteræ enim gentes, quas Iulius & Auguſtus armis adierant, pacatæ erant: ſoli Germani ferrum Romanum, ne rubigine exederetur, acuerunt.

Abolendæ magis infamiæ] Ne clades non vindicata contemtum Romanorum apud exteros, Auguſti apud ſuos, excitando, utrorumque obedientiam imminueret.

Ob amiſſum cum Quinctilio Varo exercitum] Qua clade nec major illo ſeculo Romanis, nec Auguſto magis inſperata: amiſſo quod robur erat omnium legionem; & Arminio invaſionem Italiæ, veterano militæ nudatæ, minitante.

Quàm cupidine proferendi imperii] Cujus tuendi & poſteris tradendi, quàm amplificandi, Auguſtus cupidior erat.

Dignum ob premium] Quia Germania ferri & virorum, quàm auri & deliciarum, tunc temporis feracior.

Domi res tranquillæ] Et verè halcyonia

nia aut ver quoddam floreſcentis, dum Auguſtus rerum potiretur, Monarchiæ: hyems & ſenectus morientis libertatis. Ita ut hîc quoque locum habeat illud Phyſicorum; *Vnius interitum alterius eſſe generationem.*

QUAESTIO I.

AN Romanum imperium omnium ſui temporis fuerit eminentiſſimum? Affirmatur.

Nullum enim aliud afferri poteſt, ex omni hiſtoriâ erutum, quod ei comparari, nedum præferri, poſſit. Nam cum duæ inprimis validæ gentes Romana arma ſub Cæſaribus exercuerint, Parthi & Germani, quibuſcum diu & vario eventu pugnatum eſt: neutri tamen majeſtatem Romanam depreſſerunt: quin ſceptrum illud quodammodo adorârunt. Parthi enim nec Imperii amplitudine aut duratione, nec imperandi ſplendore & legum ſanctitate, nec denique abſolutione ab externa veneratione illis conferuntur. Romanis enim ſub Auguſto aut deniceps in Europa paruit Hiſpania, Gallia, Britannia, Illyricum, Italia, Pannonia, Mœſia, Thracia, Mace-

Macedonia, Achaia, Sicilia, Sardinia, Corſica, Baleares; & cæteræ maris mediterranei inſulæ. In Africa dicto eorum audientes fuére Numidæ, Pœni, Ægyptus, & quicquid aliarum gentium præmium oſtendere belli poterat.

In Aſia aquilas Romanas venerati ſunt, Syri, Iudæi, Ituræi, Rhodus, Cyprus, cum univerſa Aſia minori. Quibus licet adjicias dubiæ fidei gentem Armeniorum, & quos Pompejus penetraverat ad Heniochos pertinentes populos. Parthi intra Meſopotamiam fermè claudebantur, Mediâ forte, Caremannia, & Perſia adjectâ. Germani anguſtioribus quàm nunc finibus incluſi (niſi Daniam cum Norvègia & Suecia, è veterum ſententiâ iis adjicere velis) non uno imperii vinculo continebantur, in varia dominia diſperſi.

Præterea res Parthorum ut citò adolevit, ita ſubitò evanuit: ut vix memoria ejus gentis ſuperſit. Nam quod nonnemo exſules illos Scytharum, eoſdem cum Perſis eſſe contendat, mihi fidem non facit. repugnant mores utriuſque gentis; repugnat annalium fides. Romanâ autem po-

tentiâ nec lentiori pede ulla progreſſa eſt, nec firmiori gradu ſtetit.

Deinde Romani cum armis leges ſuas & cultiores mores protulerunt. Parthi latrocinii more bella fere geſſerunt, aut victis cum jugo barbariem intulerunt. Denique Romani externam potentiam nullam venerati ſunt. Parthi Romanorum vires ita æmulati ſunt, ut tamen ſplendore earum perſtricti, per reverentiam iis cederent. Nam & reges Romam ſæpè petierunt, & diſcordias domeſticas Romanorum interventu diremerunt.

QUAESTIO II.

Romani, an Germani, bello ſuperiores fuerint?

Quæſtio vel de bello auſpiciis Auguſti & Tiberii, ductu Druſi & Germanici, geſto accipi poteſt: vel univerſim de bellis aliquot per ſecula variè geſtis, aut interruptis. Ac bellum quidem Druſinum, præliis anceps, eventu dubium fuit. Nec fractas ultimo Germanici & Arminii concurſu Germanorum opes, nec parto jam victoriæ decori abſtractum Germanicum, Tacitus ipſe & ratio rerum indicat.

cat. Eodem enim anno, quo de Cheruſcis magnificè triumphatum, Cheruſci Maroboduo regi Suevorum bellicoſiſſimæ nationis potentiſſimo, quem Hannibale magis metuendum Tiberius judicavit, arma æmulatione gloriæ intulerunt. Quos fractæ bellogenti animos adeſſe & vires, delirantis eſt ſomnium. Et Arminius ad alacritatem pugnæ ſuos adhortans, victoriæ recentis admonet. *Reciperatam libertatem, trucidatas legiones, ſpolia adhuc & tela Romanis direpta, in manibus multorum oſtentabat, &c. meminiſſent modò tot præliorum, quorum eventu, & ad poſtremum ejectis Romanis, ſatis probatum, penes utros ſumma belli fuerit.* 2. annal. Ne quis autem vanâ jactantiâ ſui, & fictis in hoſtem probris iſta Arminii dicta accipiat: Arminium præliis ambiguum, bello invictum, liberatorem Germaniæ alibi nominat, ſuo ſenſu locutus, Tacitus. Cui accedit ratio non dubia. Non enim Romani provinciam tanto molimine partam ſubitò deſeruiſſent, à tributo & omni onere immunem. Quod ſi invidia Germanici obtenditur: potuiſſet Druſus Imperatoris filius, abſtracto à legionibus Germanico, reliquias belli perſequi.

Bellorum deinceps omnium hic eventus fuit, ut Germani non modò Romana arma arcerent, ſed totius Occidentis terras cum ipſa æternâ urbe hoſtibus eriperent. Italia enim à Longobardis, Gallia à Francis, Britannia à Saxonibus, Hiſpania & magna pars Italiæ cum urbe Roma à Gothis, Africa à Vandalis occupata, poſſeſſa, culta.

Quos omnes è media Germania effuſos, ſi quis aſſerenti fidem deneget; ad veteris Geographiæ libros, & Taciti Germaniam, lectorem ablego.

Tandem per Francos ipſum imperii Romani jus ac nomen in Germanos deductum. Fulminantem igitur è tranſalpinis nubibus procellam non vano rumore timuerunt.

QUAESTIO III.

AN virtute veteri bellica exciderint Germani?

Quanquam mollior plerorumque & urbanior educatio, corporum & animorum priſcum robur enervaſſe videtur: manet tamen genti generoſa indoles, auctâ etiam accuratiori armorum ſcientiâ. Præſertim ſi Belgas foederatos

deratos iis accenſeamus : quos verè Germanos eſſe, tum veteris Germaniæ deſcriptio, tum linguæ quâ utuntur non cognatio, ſed αὐτόψις evincunt. Suecos etiam (Suionas olim, è priſcorum calculo, & linguæ cognatæ ipſorumque probatione, Germanos eò referas. Nec excluſeris Helvetios, moribus & idiomate Germanos, diverſo licet ſolo cœloque animentur. Verùm omiſſis iſtis ſubſidiis, vulgari ſtemus opinione, Germanorum nomine capientes Imperio Auſtriaco-Romano comprehenſos populos. Hos etiamnum lætam bello gentem eſſe, & ad omne armorum genus aptam, cernimus qui non peregrini in noſtro orbe ſumus. Cum enim Galli & Poloni ad equeſtrem procellam nati ſint; Hiſpani & Helvetii pedeſtri ac ſtativâ pugna intolerabiles; Belgæ navalis belli & munitionum ſcientiâ palmam auferant: Germani in nullo horum præter cæteros excellunt; & tamen omnia hæc mediocriter callent. Ita ut cum nulla gente congredi vereantur; & apud omnes Europæ nationes præcipuam ferè militiæ partem faciant. Circumfer oculos per omnem cultiſſimæ orbis partis angulum: in

omni acie Germanos ſtare videbis, bellum ſi domi deſit, foris quærentes. Nec procul ab hac laude abſint Scoti, à veteribus Caledoniæ incolis non degeneres.

QUAESTIO IV.

CUr igitur Germania exteris prædæ?

Reſp. 1. Noli ante coronidem de ſumma belli judicare. Etiam poſt Cannas Romani Hannibalem expulerunt.

2. Germania Germanorum manibus maximè vaſtatur.

3. Civili & gemino externo bello ſimul urgetur.

4. Dominiorum & religionum multiplicitas univerſis obeſt: ut & nimium apud exteros militandi ſtudium.

5. Nocet & animi quædam magnanimitas, omnem terram pro ſua judicantium. Unde fit, ut patriæ minus obſtrictos ſe putent. Planè & hîc veterem indolem agnoſcas. Sic enim illi quondam ad cognatos Ubios: *quomodo lucem noctemque omnibus hominibus; ita omnes terras fortibus viris natura aperuit.* Tac. 4. Hiſtor.

6. Dete-

6. Detegatur larva fictarum belli cauſarum;& vetus belli vultus redeat: concordes & alacres ad commune incendium reſtinguendum cernes.

Quaestio V.

AN debellandæ Germaniæ nullum ſatis dignum præmium Romani habuerint?

Si nullum aliud præter aurum & pretioſos lapillos belli præmium: Tacito libens aſſentior. Sin alia compluria ſint, & priſcis Romanis ante aurum expetita: non poſſum non ab illo diſſentiri. Fateatur igitur vulpecula arduum arboris aſcenſum: non culpam inanis operæ in pirorum aciditatem conferat.

Eadem magiſtratuum vocabula. „ Iuniores poſt Actiacam victoriam, „ etiam ſenes plerique inter bella ci- „ vium nati. Quotus-quiſque reli- „ quus,qui remp. vidiſſet? Igitur ver- „ ſo civitatis ſtatu,nihil uſquam priſci „ & integri moris: omnis exutâ „ æqualitate juſſa principis aſpectare. „

Si quadratam, & æquali perfectionis aſciâ undique perpolitam, reip. formam exhibere velimus: vereor ne,

quemadmodum Chymici in lapide philoſophico quærendo fruſtra deſudant; ita nos inanem infructuoſamque operam, clamando Hylam, conſumamus.

Citiùs quid unicuique ſtatui deſit, quam quid electu optimum ſit, aut quomodo ſerpentia viſceribus vitia exhauriantur, reperiemus. Bellorum inexplicabilem ſeriem, & motuum civilium fine cariturus tempeſtates Auguſtus & nova Monarchia ſolverat. Sed eadem honores, prærogativam, animos Patrum, equitum, plebis contaminavit. Inquieta Democratia; factioſa Oligarchia; tumultuoſa ex utriſque Reſpublica mixta. Sed & Monarchia, ſi intra legum terminos ſteterit, obediendi neceſſitatem omnibus; ſi ſpretis legum cancellis, licentiæ impetu abrepta fuerit; optimo cuique metum, univerſis duorum ſervitutis jugum imponet. Aut ignavia torpeſcent & diſſimulatione virtutum altiora ingenia; aut in gloriam ſimul & exitium per præcipitia trahentur. Omniaque quæ tyrannidem ſequuntur, incommoda ſequentur.

Nos amoto arbitri litis inveteratæ onere, quod ad autoritatem compa-

randam

randam infirmum, ad ſimultates evitandas validum, cauſſam integram ad populi judicium remittimus. Ut quiſque valet acumine, vel ſtudio partium trahitur, ſententiam per me ferat. Nos ad pertexendam reliqui operis telam feſtinamus.

Eadem magiſtratuum vocabula] Conſulibus cæteriſque magiſtratibus inanem honorum umbram, & ſine facultate nomen reliquit, ſibi vim Imperii ac verè formam reſervavit. Simulacra quædam libertatis & antiquæ reip. ut caſſam nucem aut putamen illis conceſſit: nucleum ſibi & veram rei eſſentiam repoſuit. Quæ tamen ſimulacra non per omnia inania fuerunt. Quanquam enim formam Reipub. à Cæſaribus inſtitutam non mutârunt: rationem tamen gubernandi nonnihil variârunt. Fuitque diverſum ab aliis regnum, in quibus jubendi & ſerviendi confeſſio in aperto. Niſi quod Macedones jam olim huic Monarchiæ præluſiſſe videantur. De quibus rerum ab Alexandro geſtarum concinnator: *Macedones aſſueti quidem regio imperio, ſed majore libertatis umbrâ, quàm cæteræ gentes.* Quæ libertatis Macedonicæ umbra in eo maximè conſi-

 ſtebat,

ſtebat, quod non, ut cæteri, ad Orientem Reges, genu flexo adorabantur, nec veſte auróve inſignes erant, nec viſu vel alloquio hominum ſubtrahebantur: ſed communibus epulis, veſte ferè militari, comitate ſermonis, præterea ante aciem agendo, ſtudia popularium conquiſiverunt: cum nec de nomine regio, nec de poteſtate quicquam remitterent. A quo patriæ more cum Alexander deſciſceret, qui antea deliciæ & amor exercitûs fuerat, omnium odium incurrit, nec à ſeditione caſtrenſi & conjuratione militari immunis fuit. Sapientius pariter & modeſtius, qui in dominium terrarum ab illo acquiſitarum ſeſe ingeſſerunt. *Regii honoris ornamentis tamdiu omnes abſtinuerunt, quamdiu filii regis ſui ſupereſſe potuerunt. Tanta in illis verecundia fuit, ut cum opes regias haberent, regum tamen nominibus æquo animo caruerint, quoad Alexandro juſtus hæres fuit.* Iuſtin. lib. 15. Ita quamdiu aliqua veteris reip. mentio ſupereſſe poterat, purpura, diademate, igni Principes Romani abſtinuerunt, quorum uſum poſteri invexerunt: Imperatoris autem nomen, quod modeſtiæ olim fuerat, ſupra regium extulerunt.

Quotus-

Quotus-quiſque reliquus, qui remp. vidiſſet?] Non ſolum rebus quæ naturâ producuntur, verùm etiam quæ ratione & conſilio peraguntur, maturitatem tempus affert & mora. Qui novum ſtatum magnâ cum difficultate introducis, hominibus novitatem non ferentibus, exſpecta diem & mutationes hominum. Hi qui nunc vivunt, intereunt, aut adveniente ſenectute animos ponant: ſuccedunt qui inter novas res nati, veterum ignari, pro antiquis mores à ſe receptos poſteris tradent. Graviter Claudius, & ex ſcriptoris potius quàm ſuo ingenio. *Omnia P. C. quæ nunc vetuſtiſſima creduntur, nova fuére: plebei magiſtratus poſt patricios, Latini poſt plebejos, cæterarum Italiæ gentium poſt Latinos. Inveteraſcet hoc quoque: & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.* Tac. 11. annal.

Nihil uſquam priſci & integri moris] Nihil erecti animi & altum ſapientis, nihil verè ingenui. Populus qui paullò ante jura dabat gentibus, qui terrarum ac maris imperium moderabatur, immiſtus jam ſervientium turbæ, ad pedes regentis provolvitur. Senatus qui concilium regum olim videbatur, ad palpum & ſerviles adulationes

compoſitus, unius non juſſa modò, ſed nutus & cogitationes obſervat. Exſulat magnitudo animi, migrat dicendi libertas, laborat ſermonis candor, labefactatur amicitiarum integritas. Aſſentando, deferendo, prodendo omnia plena: nec ſtatus magis quàm vitæ & morum facta commutatio, Pallas aliquis & Narciſſus, liberti principis domum, & cum eâ civitatem pro lubitu circumagunt. Sejanus quiſpiam & incremento ſuo & caſu clades illuſtrium virorum involvit. Meſſalina aut Agrippina & vitâ & morte ſuâ civium quietem convellit. Denique univerſorum ſervitutem ſinguli certatim augent: quid ſibi ſumat, Principem contra ſe ipſos inſtruunt.

QUAESTIO I.

AN Auguſtus inuſitato facinore ſe alligaverit, inani magiſtratuum titulo populum ludificando?

Non inauditum facinus exiſtimandum, quod olim factitatum ab Optimatibus, & etiamnum fit in civitatibus nomine liberis, & omni vitæ parte.

In repub. Romanâ jam dudum queſtus

ſtus audiebantur : *jam ne virtute* (lego *Veritáte*) *quidem promi libertatem* , *ſed arte ludi*. Liv. lib. 3. Sic cum vis omnis comitiorum penes pauciores eſſet , univerſæ tamen plebi & ſingulis perſuaſum, in ſua manu eſſe majeſtatem Urbis, ſuo nutu rerum momenta verti. In civitate danda aliàs plenum jus civitatis conferebatur; aliàs latinitas, aut deditio. Ne libertas quidem ſine ludificatione exſtitit. Alia enim Iuſta fuit, quæ vindicta , cenſu , teſtamento dabatur ; alia non juſta , quæ inter amicos, in convivio , per epiſtolam.

Hi vinculo quodam attinebantur ſervitutis , *ut relinqueretur pœnitentiæ aut novo beneficio locus*. 13. annal. illi plenè liberi habebantur , nec retrahi in ſervitutem poterant. Quàm tamen ad multa liberti patronis obſtricti fuerint , Antiquitatum Romanarum & ICtorum ſcrinia continent. Noſtris moribus ſervitute ſublatâ, cum omnes in urbibus liberi naſcantur , in civitatis jure conferendo ſæpè luditur ; ut magnæ parti civium pro reipſa nomen ac umbra obtrudatur. Ita alicubi Plena & Suſpenſa civitas , **Die groſſe und kleine Bürgerſchaft** : & in ipſa plena civitate , quæ pecuniæ ferè modo

emta cenſetur, non omnes jure ſuffragiorum & aſſequendi honoris cumulantur. Immunitatibus etiam & privilegiis larva ſæpè induitur: cum aut pauci, quod univerſitati datum, occupant; aut universi falſa privilegiorum ſpecie à ſuperioribus ducuntur. Ne repetam, quod Romanis & Atticis in more fuit, ut ſocietatis nomine durum ſub jugum mitterent allectos populos. In ſingulis denique & in omni vitâ communi ejuſmodi ſimulacra deprehendas. Non igitur ut novi ludibrii commentor Cæſar Auguſtus traducendus, qui more humano inter homines egerit, Romano inter Romanos.

Quaestio II.

An nihil, præter inane vocabulum, Senatui ac magiſtratibus relictum?

Fuerunt quædam illorum munia, quæ etiam Iura Dominationis deliqbabant: ut ſuo loco doctum. Hæc aliàs intendebantur & minuebantur; aliàs eripiebantur & reddebantur: ut quiſque Imperatorum ad principatum accedebat, dubiæ; vel eum tenebat, roboratæ

roboratæ potentiæ. Perſpicuus locus, 13. annalium: *Teneret antiqua munia ſenatus. Conſulum tribunalibus Italia & publicæ provinciæ aſſiſterent. Illi patrum aditum præberent; ſe mandatis exercitibus conſulturum.* Provinciarum publicarum, id eſt, populo aſſignatarum, curam ad ſe traxerat Claudius. Quas Nero novo principatui gratiam quærens, & alia antiqua munia Senatûs, reſtituere ſe promittit.

QUAESTIO III.

VTrùm ingenia adulationi apta Principibus grata?

Vulgaris opinio eſt, diſplicere regibus ſeveriores aulicorum mores; placere vultum omnibus aſſentientem. Quod non ubique, nec coram omni Principe, locum habet. Delectari enim ſæpè Monarchas ingeniis ut erga ſe fidelibus, ita erga alios arrogantioribus, Pallas in domo Claudii; Burrhus in aula Neronis nondum ad ultima flagitia prolapſi; Albanus in palatio Philippi, clarum faciunt. Nec Tiberius immodicè aſſentientes ferebat. *Vnde anguſta & lubrica oratio ſub Principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.* 2. annal.

QUÆ-

QUAESTIO IV.

VTrùm delationes proditoriæ ferventiores uno rerum potiente? Affirmatur.

Cujus rei cum plura exemplo ex hiſtoricorum rivulis haurire in promtu ſit; único utar inſigni, circumventi per ſummum fraudis ſcelus Titii Sabini, ſtruente dolos Latinio Latiari. *Igitur Latiaris jacere fortuitos primùm ſermones, mox laudare conſtantiam; quòd non, ut cæteri, florentis domûs amicus, afflictam deſeruiſſet: ſimul honora de Germanico, Agrippinam miſerans, diſſerebat. Et poſtquam Sabinus, ut ſunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrymas, junxit queſtus; audentius jam onerat Sejanum, ſævitiam, ſuperbiam, ſpes ejus. Ne in Tiberium quidem convitio abſtinet. Iique ſermones, tanquam vetita miſcuiſſent, ſpeciem artæ amicitiæ facere. Ac jam ultrò Sabinus quærere Latiarem, ventitare domum, dolores ſuos quaſi ad fidiſſimum deferre,* &c. *Tectum inter & laquearia, tres ſenatores, haud minus turpi latebrâ, quàm deteſtandâ fraude, ſeſe abſtrudunt; foraminibus & rimis aurem admovent. Interea Latiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum & in cubiculum trahit: præteritáque & inſtantia, quorum affatim*

affatim copia, ac novos terrores cumulat. Eadem ille, & diutius; quando mœſta, ubi ſemel prorupére; difficiliùs reticentur. Properata inde accuſatio; miſſiſque ad Cæſarem literis, ordinem fraudis, ſuumque ipſi dedecus narravére. Qui ſenſus animorum tam deteſtanda percrebita fraude fuerit, quæris? *Non aliàs magis anxia & pavens civitas; etiam adverſum proximos Congreſſus, colloquia, notæ ignotæque aures vitari; etiam muta atq; inanima, tectum & parietes circumſpectabantur.* Tac. 4. annal. O tempora priſcis moribus aliena! ô nata fraudi & ſervituti mancipia Romana! Ignoratæ ejuſmodi artes perfidis Pœnorum animis, incognitæ ſueto ſervituti orienti; fugerunt mobilia Græcorum ingenia. Factum Ephororum, Pauſaniæ proditionem & occultam cum Perſarum Rege ſocietatem aſtu explorantium, cognoſcendæ veritatis neceſſitate, & conſervandæ libertatis patriæ officio, ſimili perfidiæ notâ non illigandum.

QUAESTIO V.

VTrùm Principum vitio iſta morum corruptela invectetur?

Ut Principes non omnes mutatorum

rum in deterius morum crimine liberamus: ita maximam ſævitiæ illorum & perfidiæ aulicæ partem iis adſcribimus, qui circa ipſos. *Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eâdem conſtantiâ retinebis: ſed alii per obſequium imminuent. Irrumpet adulatio, blanditiæ, peſſimum veri affectus venenum, ſua cuique utilitas. Etiam ego actu ſimpliciſſimè inter nos hodie loquimur: cæteri libentius cum fortuna noſtrâ, quàm nobiſcum. Nam ſuadere principi quod oporteat, multi laboris: aſſentatio erga principem quemcunque, ſine affectu peragitur.* Eximiè Imperator Galba ad Piſonem. Tac. 1. Hiſtor. Ad repentes auribus Principis libellis aut vocibus, iram & diffidentiam erga ſuos fodicantibus, vel bonum & incautum corrumpunt, vel malum ut audeat inſtruunt. Neronem, *vetuſtate imperii coalitâ audaciâ*, ſcelera meditantem popæa aliqua ſtimulabit; *crebris criminationibus, aliquando per facetias incuſare principem, & pupillum vocare, qui juſſis alienis obnoxius, non modò imperii, ſed libertatis etiam indigeret.* Tac. 14. annal. Cumque poſt parricidium etiam, Burrhi & Senecæ auctoritate, quò minus flagitiorum vim omnem effunderet, contineretur: altero morte erepto, ad alterum

alterum labefactandum deteriora ſuadentes accingebantur. *Certè finitam Neronis pueritiam, & robur juventa adeſſe. Exueret magiſtrum, ſatis amplis doctoribus inſtructus, majoribus ſuis.* 14. annal. Hæc pauci, & deterrimus quiſque curculionum aulicorum. Quid Senatus, & ille conſeſſus tot illuſtrium virorum? qui vel ad flagitia, quò inclinare advertebant Principem, auctoritate ſua interveniente compellebant. Uti Claudium ad matrimonium Agrippinæ, ipſi pariter & civibus damnoſum. Quod cum toties inceſtum vocet Tacitus, miror quid in mentem venerit arcanorum ſedulo magis quàm arguto cumulatori Clapmario, ut ejuſmodi matrimonia Principibus jure Dominationis licitæ calculo ſuo fecerit.

Nihil autem magis audaciam Tyrannorum confirmavit, quàm ſupplicationes, ludi annui, templa perpetrato ſcelere iis decreta. Occiſam juſſu Neronis matrem, quamvis vulgus adverſo rumore fremeret, & Nero ipſe, perpetrato demum ſcelere, magnitudine ejus intellectâ, paveſceret: *Mire tamen certamine procerum decernuntur ſupplicationes, apud omnia pulvinaria, utque quinquatrus*

quatrus, quibus apertæ eſſent inſidiæ, ludis annuis celebrarentur. Aureum Minervæ ſimulacrum in curiâ, & juxtà principis imago ſtatueretur. Dies natalis Agrippinæ inter nefaſtos eſſet. 14. annal. Quæ Patrum adulationes publicæ Tiberium; crimen Majeſtatis in equitibus modicis prætentantem, & ulterius indies proſerpentem, ut remoto pudore & metu ad ultimā ſcelera prorumperet, animârunt. Neronem etiamnum & Tiberium loquor. Quot modis boni etiam Principes ad mala facinora vel imprudentes impelluntur! Nec ii modò ſimplices & incauti, ſed etiam cætera abundè ſagaces. Id quod olim queſtus eſt Imperator, ſi perſecutionem Chriſtianorum excipias, non malignus Diocletianus: *Bonus, cautus, optimus venditur Imperator.*

„Nulla in præſens formidine, dum
„ Auguſtus ætate validus, ſeque &
„ domum & pacem ſuſtentavit. Poſt-
„ quam provecta jam ſenectus, ægro
„ & corpore fatigabatur, aderatque
„ finis & ſpes novæ, pauci bona liber-
„ tatis in caſſum diſſerere; plures bel-
„ lum paveſcere; alii cupere; pars
„ multò maxima imminentis domi-
„ nos variis rumoribus differebant.

Maxima

Maxima in unius, quamvis optimi, regimine incommoditas, unius mortalis animo commiſſa omnium ſalus, & à convulſione rerum decedente illo metus. Aut enim ſine hærede regni decedens, remp. audacium hominum conatibus relinquit: aut ſucceſſorem non raro habet, vel ob ætatem aut animi imbecillitatem regendi cuncta moli imparem; vel ſuperbiâ, ſævitiâ, avaritiâ in fortunas, corpora, & capita civium intumeſcentem. Alexander Macedo, incerto hærede defunctus vitâ; Macedoniam, Syriam, Aſiam inexplicabilibus calamitatum nodis innexuit. Cyrus Monarchiæ Perſicæ fundator, non magis metuendus hoſtibus, quàm ſuis diligendus, Cambyſi filio, furoris & immanitatis exemplo, regnum tradidit. à quo ad Magum, à Mago ad Darium, non ſine commotionis exſpectatione pervenit. Felicia Auguſti tempora obnubilârunt ſequentium Principum nimbi. Calliditate Tiberii, impetu Caji, ſocordiâ Claudii, ſcelere Neronis, immane quanta ſtrages edita eſt, virorum maximè in Urbe illuſtrium, & fortunæ aut ingenii donis inſignitorum! Quibus exſtinctis, non liberata reſp. damnis eſt, ſed aucta,

aucta, graviſſimo bellorum civilium anno inſecuto. Veſpaſianus, Princeps tantâ memoriâ dignus, filium reip. dedit Domitianum: quem nominâſſe ſatis eſt: & hunc quidem fratrem Titi, ut diverſitatem indolis ex eodem procreatorum annotes.

Poſtquam provecta jam ſenectus, ægro & corpore fatigabatur] Non modò ob vicinitatem fati, & ſpes ex deceſſione aut timores novos, ſed etiam ſuo vitio ſenectûs & corporis imbecillitas imperio noxia eſt. Autoritatem enim minuit ætas deſpectui obnoxia: nec conciliandæ benevolentiæ, ob morum triſtitiam & parcimoniam rigidiorem, conducit. Autoritate autem & benevolentiâ profligatâ, diſſolutionem ſequi imperii, etiam pueris ſeptuennibus vulgatum eſt. *Superior exercitus legatum Hordeonium Flaccum ſpernebat, ſenectâ ac debilitate pedum invalidum, ſine conſtantiâ, ſine auctoritate*. Tac. 1. Hiſtor. Ne verò in imperio ſolum militari locum id habere putes; Imperatorum tibi ac monarcharum ſuggeram exempla. Carolum V. domus Auſtriacæ columen & quaſi complementum, ætate & articulari morbo invalidum, & ob illa contemtum, Galliarum rex juven-

juventute ferociens aggreſſus, captivitatem Patris ultum ivit. Eundem Mauritius Dux & Elector Saxonicus, victoriarum Cæſaris anteæ ſocius, rapto agmine invaſum, ad inſperatas pacis conditiones adegit. Cumque cum fortuna, quæ florentem annis in deliciis habuerat, undique desereret, abjectis diadematum fulgoribus; monaſticam cum imperatoriâ vitam commutavit. Salomonem ſapientiæ & fortunæ opibus incomparabilem, jam ſeneſcentem uxorum ac pellicum amores circumduxerunt, profugi quem juvenem timuerant, ætate gravem laceſſiverunt. Quid Davidem? nonne cum ætate malâ luctantem defectiones & inſultationes & ludibria exceperunt? peccatis quidem id meritum; ſed nempe ſenem & corpore, animoque, fractum. Galbam conſenſu Optimatum ad faſces imperatorios vocatum, nihil magis peſſundedit quàm avaritia & rigor, vulgaria ſenectuti vitia, & ipſa ſenilis corporis contemplatio. *Ipſa ætas Galbæ & irriſui & faſtidio erat, aſſuetis juventæ Neronis, & imperatores formâ ac decore corporis (ut mos eſt vulgi) comparantibus.* Tac. 1. Hiſtor.

Pauci bona libertatis incaſſum diſſerere] Senectus

Senectus Auguſti gravi morbo fatigata, ut finem vitæ & imperii ejus imminere oſtentabat, ita varios animorum motus excitabat. Pauci, iique aut calidiores & incircumſpecti, aut rerum hominumque imperiti, libertatis nullo precio æſtimandæ nobilitatem vano ſermone extollebant. Plures, temporum gnari, & rebus ſuis metuentes, ex animorum diſcordiâ, & dominationi imminentium cupiditate, civile bellum paventes exſecrabantur. Quod alii, ſive longæ pacis bona non ferentes, ſive fortunis ſuis perditis ſubſidium aut ſolatium è communi ruinâ quærentes, ſive vanâ recuperandæ libertatis ſpe lactati, votis expetebant. Plurimi tamen, nec ii vana conjectantes, nec ea tantùm quæ ante pedes ſunt intuentes, pacem bello crudeliorem, inſpecto imperaturorum genio, divinabant.

QUÆSTIO.

Electio utrùm ſucceſſioni præferenda?

Regibus & eorum poſteris quin expediat ſucceſſio, dubium nullum eſt: nec de eo controvertitur, utrùm traje-

ctus

ctus è libertate in ſervitutem populus, hæredum ſucceſſione ſit frenandus : ſed utra regno & populo ſit ſalutarior.

Si exemplis ſtandum eſt, & moribus: electionis antiquior, ſucceſſionis receptior uſus. Sin, ſepoſitâ conſuetudine, argumentis rerum agendum eſt, cum pro utraque parte non infirma ſtent, in dubium trahitur animus, electionis circa ipſam electionem incertus.

Pro Electione.

I.

ELectio ſalutis & dignitatis cuſtodia eſt; interque duo extrema, ſervitutem regiam & licentiam popularem, medium.

II.

ELectio virtutem & merita reſpicit: ſucceſſio fortuita eſt, cæca eſt, & ſæpè indignos invenit.

III.

ELectione rector datus, populi commodum, cui obligatus eſt, quærit:

Q ſucceſ-

ſucceſſione impoſitus, de publico bono ut ſuo diſpenſat: boniſque & corporibus ſubditorum aut ad gloriam ſuam, aut avaritiam, aut ignaviam abutitur.

IV.

FEliciſſimus, electione regum, Poloniæ ſtatus: nullis in eo regno tyrannis; nullis temerè motis bellis, &, ſi qua ingruant, fortiter repulſis.

V.

STat pro hac ſententiâ Tacitus, 1. Hiſtor. ſub Galbæ perſona, exquiſitâ ſententiis oratione eligendi prærogativam commendantis. *Sub Tiberio, & Cajo, & Claudio, unius familiæ quaſi hæreditas fuimus. Loco libertatis erit, quod eligi cœpimus. Et finitâ Iuliorum Claudiorumque domo, optimum quemque adoptio inveniet. Nam generari & naſci à Principibus, fortuitum, nec ultrà æſtimatur: adoptandi judicium integrum; & ſi velis eligere, conſenſu monſtratur.* Nec abſque cauſſa ſub finem Auguſti populus imminentes dominos variis rumoribus differebat. Vide mellitum Plinii ſecundi Panegyricum, Trajano Principum Romanorum

rum Optimo, quem & ipſum electio & adoptio invenit, dictum.

Pro Succeſſione.

I.

QUieti populi & turbis evitandis ſucceſſio ſuccurrit.

II.

NEgligit curam regni is, aut in privatum fiſcum publica congerit, aut bona reip. diſtrahit, qui ad ſuos nihil pertinere ea noverit.

III.

FErè videmus, regem electione quæſitum, in eorum favorem, à quibus electus eſt, vel animi motu ferri, vel neceſſitatis tractu adigi. Inde fit, ut abjecta urbanorum & ruricolarum ſit conditio; nobilitate, in cujus manu ſuffragiorum jus, omnia pro lubitu dirigente, & plebejorum ſanguine & ſudore ludente. Hinc multorum etiam bonorum ex ipſis optimatibus querimoniæ audiuntur, Regi, quo minus juſtitiam & pacem publicam tueatur, ligatas eſſe manus.

IV.

In regis filio ſpectanda merita paterna, indoles regia, & gubernandi ſcientia.

V.

Galliæ regnum Germaniâ, virorum ad arma natorum feraci, ſed fines imperii & incolarum opes minuente, floridius: non aliam ob cauſſam, quàm quod certa hæredum ſucceſſio reges, ut pro ſuo vigilent, animet; ſubditorum ſeditionibus nimis faventium animos & vires coërceat.

Argumentorum, quibus utraque ſententia fulcitur, quibuſque plura accumulari potuerint, ponderibus auctoritatis meæ levitatem non adjiciam. Hoc tantùm moneo, à moribus patriis cum quietis convulſione non eſſe reſiliendum; ſua cuique genti inſtituta, ſuos ritus eſſe ſervandos. Quod ſi in capiendo deferendóve principatu religioſè obſervandum: multò magis in ipſa reip. forma & regimine. Temerario igitur impetu & cæcâ quadam novitatis cupiditate velle regium ſtatum populari gubernatione permutare, conſtituentem abro-

abrogatis ſceptris liberam remp. vel ubi reſpubl. & legum ſuffragiorumque jura vigent, unum ſummæ rerum præficientem; hominum eſt, non optimè publicæ ſaluti conſulentium. Sed incidunt ſæpè tempora, ut vitio hominum, maximè eorum qui reipublicæ aliquam partem attingunt, non modò commutetur præſens imperii ſtatus, verùm etiam planè evertatur. Quod nulla re magis, quàm privatæ utilitatis aucupio, & publico divitiarum honore, fieri aſſolet. Quod inter cauſas mutandarum rerump. ſuprà à nobis locatum, quia, ſeculo noſtro ſplendorem auri nimium admirante, facilè elabitur, ſub finem operis mei repeto. Non de nihilo C. ille Pontius Samnis exoptavit, ad ea ſe tempora à fortuna reſervari, quando Romani accipere dona cœpiſſent; non ſe diutius paſſurum eos imperare. Virtute enim libertas & potentia Romana ſtetit: illapſa cum divitiis earum admiratio utramque labefecit. Concludo cum Doctore facundiæ & ſapientiæ Romanæ locupletiſſimo: *Nullum vitium tetrius quàm avaritia; præſertim in principibus & rempublicam gubernantibus. habere enim quæſtui rempublicam, non modò*

turpe eſt, ſed ſceleratum etiam & nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nullâ re aliâ, niſi avaritiâ, perituram; id videtur non ſolùm Lacedamoniis, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe. Cic. 2. offic.

F I N I S.

Errata Typographica.

Pag. 2. *aperivrunt, lege,* aperierunt. *p.* 6 *creatorum*; *l.* creatorum, *omiſſo ſupra virgulam puncto.* *p* 11. *erumpenter*, *l.* erumpentes. *p.* 15 *perpetuam*, *l.* perpetuâ. *p.* 19. *poſſes*, *l* poſſet. *p.* 20. *devoluta*, *l.* devolutâ. *p.* 21 *arborum*, *l.* armorum. *annis*, *l.* armis. *p.* 27. *Corn.* *l.* *Cn.* *p.* 31. *par ſe*, *l.* per ſe. *p.* 34. ζυμμαχίαν, *l.* ξυμμαχίαν. *p.* 49. ἀποτρέψια, *l.* ἀποτρέψαι. *p.* 52. *accivium*; *l.* ac civium, *attribueret*, *l.* attribueres. *p.* 54 *aſſultus*, *l.* aſſutus. *p.* 58. *generoſa*, *l* generoſa. *p.* 67 ἐσφαρμ, *l.* ἐσφοραι. *p.* 72. *plus tibi*, *l.* plus ibi. *ac peccandum*, *l.* ad peccandum. exemplum *pro exemptum.* *p.* 74. *diſceptant*, *l.* diſceptans. *p.* 75. *ni un.* *l.* in un.; *cittadini*, *l* i cittadini. *p.* 78. *eum non*, *l.* cum non. *p.* 81. *dict.* *l.* diſc. *p.* 82. *Mamerto*, *L* Mamerco. *p.* 87. *feminis*, *l.* fœminis. *p* 110. *abſtinui*, *l.* abſtinuit. *p.* 116. *meri*, *l.* mezi. *p.* 129. *Bocerus*, *l.* Boterus. *diverza*, *l.* diverra. *p.* 136. *enormitatis*, *l.* enormitates. *p* 138. *Capriarum*, *l.* Caprearum. *p.* 146. *laboret*, *l.* labaret. *p.* 155. *paci*, *l.* pati.

Liborus,

Liborus, *l.* Libonis. *p.*158. *hortorum*, *l.* honorum. *p.*174. *approbentur*, *l.* approbent. *p.*179. atteri belli, *expungatur vox* belli. *p.*181. *quantam*, *l* quandam. *p.*190. *in hoc*, *l.* in hos. *p.*191. *quin in*, *l* qui in. *p.*193. *pane*, *l.* pœnæ *p.*196. *federe*, *l.* fœdere. *p.*197. *Traterea*, *l.* præterea. *p.*200. *habitur*, *l.* habitus. *p* 201. *At qui*, *l.* Atqui. *p.*202. *videmus*, *l.* vidimus. *nova*, *l.* noxæ. *p.*208 *id participationis bonorum*, *l.* à participatione honorum. *p.*218. *Herc. ſur.* *l.* Herc. Fur. *p.*228. *gloriam*, *l.* gloriari. *judicia*, *l.* judicio. *p.*229. *ferent*, *l.* ferens. *p.*232. *eſt:præterea*, *l.* eſt. præterea. *p.*237. *Tondera*, *l.* Pondere *p.*241. *Antiquâ*, *l.* Antiqua. *p.*244. *ceciniſſent*, *l.* ceciniſſet. *p.*258. *obſeptis*, *l.* obſeptam. *p.*268. *quarat*, *l.* quærant. *p.*273. *adimenda*, *l.* adimendo. *p.*276. *flagitantes*, *l.* flagitantis. *p.*277. *Principem*, *l.* Principum. *p.*278. *cultarum*, *l.* culturam. *p.*279. *averſari*, *l* averſati. *p.*285. *referunt*, *l.* riſerunt. *p.*301. *eum*, *l* cum. *p.*308. *fida*, *l.* fide. *p.*318. *horam*, *l.* haram. *p.*324. *adſibebat*, *l.* adſidebat. *p.*328. *plebe; Roma*, *l.* plebei Romæ. *p.*335. *legionem*, *l.* legionum. *milita*, *l.* milite. *p.*344. *duorum*, *l.* durum. *p.* *ponant*, *l.* ponunt. *p.*349. groħſſe / *l.* groſſe. *p.*352. *exemplo*, *l.* exempla. *Salinum*, *l.* Sabinum. *p.*354. *actu*, *l.* ac tu. *Ad repentes*, *l.* adrepentes. *popaa*, *l.* Poppæa. *p.*355. *licita*, *l.* *licita.*

FINIS.

A 91
1455058

Google